IOM

C. G. Plempii

quae exstant.

Amsterodamum monogrammon.

Quisquiliae.

Emblemata et Tabellae.

Musius s. Rhythmi.

Cornelio Giselberto Plempio non male cesserunt Quisquiliae suae poëticae; nec arte carent Emblemata; Amsterodamum monogrammon austerioris gustus est.

Ol. Borrichius de poëtis p. 146.

Siquid amor patriae Phoebi pro dote valeret,
Posset et ingenii divitiis esse loco,
Quam late undivagas mittit Pater Amstela puppes,
Musa celebrari Plempia digna foret.

J. H. Hoefft in Parnasso Lat. Belg. p. 110.

Natus est Plempius Amstelaedami, die 25 Aug. 1572, ibique denatus anno 1638.


Wiselius.

CORNELII GISELBERTI

PLEMPII

# AMSTERODAMVM


## MONOGRAMMON.




AMSTERODAMI
Apud Ioannem VValſchardum

clɔ Iɔc xvi.

# SALVETE
## CIVES, aut FRATRES.



Msterodamum nostrum, vestram omnium in gratiam, unus ego verbis, ceu penicillo, non nisi delineavi. Priscum illud, atq; primum; quod profectò colore nullo fuit: ut umbra. Non igitur e squillâ mox rosam feci. Verba quidem ordine, non quo vulgus; at modulatim: quia & sic loqui in iuventute didiceram; & gratiorem fore vestris auribus sermonem ejusmodi putabam; Superis etiam (quod existimāt nonnulli) familiarem. Peccavero tamen hic aliquid; nec id cavero: Scio. Nam de antiquis semper novi errores existunt: & populus ita linguam habet, ut cujusvis rei partem saltem aliquam culpet. Meâ ipsius censurâ, putaminibus istis, de quibus enata hæc aquila, discutiendis; isti Amsterodamo, de quo hoc nunc ingens excusum, lustrando impensè ludibundus operam dedi. Serium profectò non hoc habui negotium; majus operæpretium facturus, si pleniore aliquando vultu patriam ostendero; nactus hortatores, & auctores, qui colorem unà suggerant. Nihil prætereà volebam: bene valete, ac morosi ne estote.



# PRÆLVDIVM.

PRætori, patribus ſex & triginta verendis,
Conſulibus quatuor, judicibuſque novem :
Nõ quantum nunc, ſed quantum olim erat, Amſterodamum
Debeo iure ſuum, dedico jure meum.
Exiguum, fateor ; ſed quod miretur & hoſtis
Creſcere in immenſum mox potuiſſe modum.
Vrbis opimavi primordia inania verbis ;
Vt meritò nunc hæc corpus habere putes.
Quid facerem ? vacuam nervorum, & ſanguinis umbram
Condere pagellæ, credo, fuiſſet opus.
Sit licèt ille brevis, feci ut liber eſſet ; id arti
Debebit ſemper patria cara meæ.
Auctores vehemens potuiſſem tradere Divos,
Longaque præclaris ſomnia principijs.
Facturaſque fidem potuiſſem fingere cauſſas :
Staret & exemplis ſtultitia iſta ſuis.
Priſca ſub obſcuram perierunt ſæcula noctem :
Semper in obſcuris ludere fama ſolet.
Et cita credulitas populum rapit : adde loquelæ
Frontis, & ingenij pondera, verus eris.
Nolebam naſo mungendos prendere cives :
Fallere, diſpereat, qui putat eſſe jocum.
Quando erit illa dies, cantare diſertus ut auſim,
Quantam te tacitus, patria, civis amo ?
Quanta tuum haud nôſti Guidonem, quantaque certas
Vincere, & eximijs urbibus eſſe prior.
Non ego tum minimos quaſi dinumerabo capillos,
Non ego verrucas dinumerabo tuas.
Non mihi tum pleno nugarum copia cornu,
Sordes, quiſquiliæ, ſcrutaque carmen erunt.

Sed

Sed majestatem memorabo,ac pondera prudens
  Illa,quibus tibi tu mox eris ipsa gravis.
Sit tamen in fatis magis,ac magis opto superstes
  Esse,& inexhausto robore stare diù.
Stare,quoad vincas melior,meliorque teipsam:
  Mensuram superes major & ipsa tuam.
Intereà haud ullo falles fucata colore,
  Nomen & a vultus simplicitate feres.
Dicesque, ut possint annum cognoscere cives,
  Versiculis facta es quo monogramma meis:
Cùm nova in occasum per fossas quattuor irem,
  Carmine Plempiaco sum celebrata vetus.
Vt quoquè blanda aliquid tu des mihi velle viderer,
  Si canerem laudes blandus & ipse tuas.
Mactaremve probris,quos insectaris ut hostes,
  Vexaremque tuas trux inimicitias.
Nunc sat erit præmî,tibi si non vanus amabor:
  Munera versiculis postulo nulla meis.
Ni tamen est munus,si qua hìc mala culpa,moneri:
  Difficilis tibi,neu sit mea Musa mihi.
Omnibus at leviter licuit peccare poëtis:
  Non eris in vatem,patria,dura tuum.
Oris enim modò non,linguæque facillimus error
  Scribendo culpam vix manus ipsa cavet.
Ardua magnorum quæ nunc es cura virorum,
  Verbula terrori non decet esse tibi.
Sollicitas alijs addant tenuissima mentes
  Sibila,qui Zephyris virus adesse putant.
Si tamen usqueadeò es teneris nimis auribus,ac te
  Lædi,cùm minimè læderis,ægra,putas.
Sique tuam planè me scribere vis ad amussim,
  Vt cogar voti carcere stare tui.
Annuo; cancella; pro verbis verba repone:
  Da modò simplicitas sit mihi salva vetus.
Historias alij,seu scribant denique nugas,
  Dura vetustati bella movere solent.

Scribere ego videar non ut novus: alta vetustas
Me tenet: at possum non gravis esse tibi.
Nec gravis esse volo: dum sit prudentia verbis,
Et scribam rectis rebus amica, sat est.
Vt modulis possis tamen inclarescere nostris,
Et plùs quàm solo nomine nota mices.
Nocteque depulsâ mea sit vice Musa lucernæ,
Fomiteque, atque oleo quæ sit alenda tuo.
Ne stolidum vulgus tenebris bona carmina damnet,
Dignaque, quæ pereant, garrula turba putet.
Nam stolidos & habes, & habes, mihi crede, loquaces
Permultos; quanquam vix ea turba tua est.
Seu tua, seu non est, chartas exosa disertas
Nil credit vili pulchrius esse lucro.
O lucrum pulchris res oppositissima rebus!
O lucrum Musis res inimica bonis!
Frænet inhumanos prudens nisi rector avaros,
Patria, nulla tua est fama, nec ulla mea est.
Sed jam frænandos a te quoquè constat avaros:
Gratia nam Musis quæ sit habenda doces.
Bibliotheca sacro patet instructissima sumptu:
Hanc videat, sibi qui bellus ab ære placet.
Porticus auget opes formosis nixa columnis:
Plus ad doctrinam pompa modesta facit.
Sed jam tempus eò, quò cepi, fortiùs ire;
Ducta mora est ipso in limine longa satis.
Quod felix, faustum, fortunatumque sit ergo,
Et nullo fati pondere triste mali:

# C. G. PLEMPII
## AMSTERODAMVM
### MONOGRAMMON.

QVæ mihi magna pates genuino, patria, civi,
  Hoc mea te tandem carmine Muſa canit.
Haud magnam tamen, at qualis prope nulla fuiſti:
  Verſiculis quaſi nec digna futura meis.
Qualis an urbs eſſes, poſſunt hæſiſſe videri
  Fata, parum ſolido mox ſtatuenda ſolo.
An, ſimul ac minimo cæpiſſes vertice tolli,
  Fulmine non equidem, aſt igne cremanda fores.
Lis elementorum fuit hæc manifeſta tuorum:
  Invitâ terrâ fit locus unda tibi.
Te magis invitâ rogus & depaſcitur undâ:
  Non rogus ille malus, credo, ſed omen erat.
Stultitia eſt fatis contraria fata putare:
  Non rogus ille rogus; fulgor, & omen erat.
Hæc tua per terras, tua clara per æquora fama eſt:
  Splendor is eſt plenus lucis honore tuus.
A ſtatione ſonans, obhumato & nomen ab Amſtro
  Amſtelredamum convenienter habes.
Amſtel nempe fuit, qui nunc bene dicitur Amſter,
  Et ſinit Amſtelijs nomen ineſſe vetus.
Qui quoquè, quas ambit, dat clara vocabula terris
  Vix terris; tam ſunt ignis, & unda ſimul.

Amſter

*Amster ego haud video quis debeat esse Latinis,*
*Ex ipsâ nisi sit fortè vocandus aquâ.*

* Emmer/mer.

*Emster enim vulgo est: paullò secus * haustra vocātur;*
*Amne quòd his liquidæ nempe petantur aquæ.*
*Amne quidem, cui nomen aquæ quoquè fortè dederunt:*
*Vnde nec ampullis nomen inesse negem.*
*Vnde suum sumpsit, si Dìs placet, amphora nomen;*
*Nomen & unde ambix, Amasis, ama suum.*

* Am/seugam. * Ama.

*Nutrici unde dedit * Germanum nomen * Iberus;*
*Stillet ab uberibus quòd, quasi fonte, liquor.*

* Ammen.

* *Pascua prætereo, quæ dixit amæna vetustas*
*Belgica, quòd liquidis cincta rigentur aquis.*

* Ambroot / panis succulentus, sive nutriens. * Ammelaken.

*Prætereo * ambrosiam, & madefactas nectare * mappas,*
*Fabula quas Como fert placuisse Iovi.*
*Denique prætereo, qui saxea mollit, amorem,*
*Pectora, qui lachrimis mollior ipse suis.*
*Hoc etiam haud nihil est, quòd Hebræis unda vocetur*
*Non nisi diversis ordine litterulis.*
*Vt mare Romanis, tenerisq; utì mamma puellis:*
*Manat ea, ac liquido turgida lacte madet.*
*Amsterus esse amnis poterat, tuq; Amsterodamum:*
*Hoc in te, fateor, plùs ego nomen amem.*
*Sic aures non sis nimis offensura Latinas:*
*Ah, malè dant multi nomina multa tibi.*
*Sesquipedaliter hi vocitant Amstelreodamum:*
*His fracti sexus Amsterodama places.*

*Amstel-*

*Amstеldamum alijs, alijs magis Amstelodamum:*
*Tam vario puerum nomine mater amet.*
*Iamdudum ex quâ re statio quoquè nomen haberet*
*Nostra laborabam dicere; mutus eram.*
*Qui tamen (haud ignoro) ratem instruit, expedit, ornat,*
*Re bene mercator fungitur ille suâ.*
*Consulit ille suis rationibus, & sibi præstò est:*
*Ac planè dictâ pro statione facit.*
*Quinetiam haud a re Græcus procul ire videtur*
*Sermo, notat fluidas cùm stationis aquas.*
*Vltima pars vocis, tantam quæ nominat urbem,*
*Amstelredamum quanta sonare solet:*
*Esse quoquè a Graijs, vel ab ipsis esse Latinis,*
*Esse tamen Batavis & genuina potest.*
*Multa quidem multis durant communia linguis*
*Verba: quod haud ullo me penes in dubio est.*
*Insuper at Batavis, numero ac discrimine rerum,*
*Lingua locuturis non satis una fuit.*
*Si damus a Graijs, domitis pars consonat undis:*
*Si damus a populis esse, Latine, tuis:*
*Mox obturatum planè quadrabit in amnem,*
*Qui sic extremus denique damna capit.*
*Damna quidem, quoniam prohibetur liber abire:*
*Occlusæ quòd aquis dissocientur aquæ.*
*Cùm nomen patriæ germana locutio finit,*
**Enectæ obiectâ mole notantur aquæ.*

*do-am/ d'am/ ut do-ijc/ d'ijc.

*Quam vetus hoc autem dederit ſeu ruſticus auctor,*
*Seu vir honoratâ nobilitate, latet.*
*Vrbs quæ nunc magna eſt, cùm nil niſi viculus eſſet,*
*Amſtelredamum tum quoquè dicta fuit.*
*Nec Sanoredamum (mihi avos dedit.) eſt quia vicus,*
*Inde minùs nomen cœpit habere ſuum.*
*Parvarum rerum quoquè nomina parua putantur:*
*Fiunt cum rebus nomina magna ſuis.*
*Ludit in iſtarum quoquè nomine vulgus aquarum,*
*- Cis quas Amſtelij ſpes ſtatuère ſuas.*
*Eſt, cui non ullo titubat ſententia nutu:*
*Audet is, ut certus, talia verba loqui.*
*Sex veniunt, & ſex abeunt lunaribus horis:*
* t'getij/ t'tij. *Ex illo iuſtum* tempore nomen habent.*
*Dixerit Iæos, nihil attinet, ipſa vetuſtas*
*Piſces, Iæas quæ male dixit aquas.*
*Nomen ego Tityi potiùs de nomine ſumptum*
*Dixero, vel magè de nomine, Tiphy, tuo.*
*Nempe priore tuum, Tityi quoquè parte ſecundâ*
*Tempus apud Batavos ſignificare ſolet.*
*Quale per alternos abit, atque revertitur æſtus:*
* tijt. **Littera cùm reſonat myſtica, ſemper abit.*
*Obſervata ſcias olim ſua tempora nautis,*
*Tum diſcedentis, tum redeuntis aquæ.*
*Hanc opportunum vocitabant temporis ergo*
*Nomine ſuadentis, ſeu prohibentis iter.*

Hacte-

*Hactenus iste: meam magis urget opinio mentem,*
*Quâ vetus* * *Iæis sit bene nomen aquis.* * Het ij/t'ij id est aqua.
*Affirmabo nihil; res est incerta: sed audi:*
*Nomen habet glacies unde Latina suum?* (vum:
*Hanc vitream bene vulgus aquam putat esse Bata-*
*Est aqua* * *vitrea, quam frigida cogit hyems.* * glasijs/ glacies.
*Danubius, quòd abundet aquis, quoquè dicitur Ister:*
*Nomen ob hanc caussam forsan & Indus habet.*
*Forsan &, Adriacum quæ longè præterit æquor,*
*Italia, & fluctus despicit, Ilva, tuos.*
*Isala propterea solet, ac solet Isula dici;*
*A circumfusis insula quin & aquis.*
*Addo: lacus, frater quibus antè Bemester, ab* * *escâ* * Worm-meer/ Pour-meer.
*Nomina, pisciculi quâ capiuntur, habent.*
*Proxima tres ab ijs capit urbs insigne lituras,*
*I quòd & his, lacuum nomen & i sit aquis.*
*Hinc etiam in tabulis est Y reperire vetustis,*
*Indultuque ratis, Quarte Philelme, tuo.*
*Nil refert gemino bifidum si vertice distet:*
*Postulat hoc signo littera longa moram.*
*Non a Pythagorâ est: Batavis ita scribere mos est*
*Et nunc, & pridem mos fuit ille catis.*
*Hæc qui vera putat, vocet Iæas licet undas,*
*Et struat Iæo prandia pisce sibi.*
*Si tamen Amstelijs placeat satis esse disertis,*
*Nomine aquas dicant nobiliore suas.*

*Ipsa vadosa nimis bene nominat ostia Pampus,*
*Qui stricto modicas gurgite ructat aquas.*
*Quos tempestivos Antverpia dicere fluctus*
*Assolet, hos Scaldim vult magis esse suum.*
*Nomine cur nostras alio non dicimus undas,*
*Quàm quod rusticitas (est rude) prisca dedit?*
*Amsterodamensem deceat prodire Senatum,*
*Quem pompæ sacrum dixerit antè, die.*
*Perque suburbanum festivis lintribus æquor,*
*Plebe per hoc etiam velificante, vehi.*
*Sitque operæpretium sonitus audire tubarum,*
*Tympanicum murmur, cymbalicumque melos.*
*Tum bene præfari, bonaque ac bona dicere verba,*
*Et faustum dignis figere nomen aquis.*
*Denique bombardis cælum, ac pulsare tonastris,*
*Inque urbem lætâ puppe redire suam.*
*Pocula non addo: neque enim mihi tradere mens est,*
*Quo bene pompa sit hæc percelebranda modo.*
*Res bona digna foret memorari, & in Acta referri*
*Publica: sit novitas ritè patrata vetus.*
*Romanus cessâ sonitum de turre datura*
*AEra vocat flamen nomine quæque suo.*
*Lustrat aquis, bona verba canit, bonaque, ac bona rursum:*
*Idque novâ fieri relligione negat.*
*Est, ait, a tritavis ad nos transmissa nepotes,*
*Illaque, vaticinor, posteritatis erit.*

Haud-

*Haudquaquam durum est maiorum moribus uti.*
*Nemo vetustatem non reverenter amat.*
*Ingenium cunctis sic est mortalibus, & sic*
*A priscis species est sua danda novis.*
*Vnde sed & nostris, rogitas, sint nomina Templis?*
*Nomina priscorum ponere cura fuit.*
*Cura fuit sacrâ sed non sine ponere pompâ:*
*Ritus in augustis pondera rebus habet.*
*Huc & emax quòd adhuc venit undiq; turba quotãnis,*
*Sollemni ritu missa peracta facit.*
*Patria, tota nova es, ritusque exosa vetustos;*
*Remque putes nimiâ relligione geri.*
*Nulla superstitio est brutis dare nomina rebus;*
*Nomina mox portis tu dabis aucta novis.*
*Nulla superstitio est comitem producere turbam,*
*Inque salutatis ponere nomen aquis.*
*Tu quoque Mauritium magno ratem honore vocâsti,*
*Quæ maris Eoï fluctibus apta foret.*
*Et cum Mauritio lætissima vina bibisti;*
*Poculaque, & risus plebe sequente tuos.*
*Non augusta minùs navis stetit Amsterodamum.*
*Aurea non fulsit Sol, neque Luna minùs.*
*Vidit eas Indus toto niger orbe remotus,*
*Estque in ijs albos visus amare viros.*
*Adriacos arrhâ fluctus dignantur, & auro;*
*Ac longo in transtris ordine turba sedent.*

*Nec non distringunt tormenta sonora quotannis;*
*De Venetis verum si mihi fama refert.*
*Ast ego si quæras quonam rear esse vocandas*
*Nomine, facundus quas amo civis, aquas.*
*Nescio: sed certè nomen felicibus aptum*
*Credo bonum, ac notum quod procul Indus amet.*
*Vtpote celsus apex nostrarum est India rerum:*
*Inde dies nobis clariùs orta micat.*
*India nunc nostris est pæne domestica nautis:*
*Dura nec annosum pectora mollit iter.*
*Præsertim comites audentibus esse puellis;*
*Vidi, quæ forti diceret ore vale.*
*Est via, quâ solvunt; dedit illi nomina Bantas:*
*Littera Romano ne sit in ore tripes.*
*Quæ dedit esse suas, det ijs simul India nomen;*
*Nobile det nostris India nomen aquis.*
*Indus erunt; faveo, iubeoque favere poëtas*
*Frater, & Amstelios iure favere meos.*
*Vtque suis dicat, veneratus adoro Senatum,*
*Fluctibus; Indus eras, Indus es, Indus eris.*
*I mora: quin igitur Batavorum dicimus Indum:*
*Dicimus; ac nomen fluctibus Indus inest.*
*Fluctibus Indus inest nomen (sensisse recordor)*
*Qui, cùm non essent, tum tamen Indus erant.*
*Fluctibus his quondam glacies Semblæa stupendo*
*Nomen ab eventu grande datura fuit.*

*Tam*

*Tam duram est ausus tentare Barentius Arcton:*
*Hoc maiora tulit nemo pericla viro.*
*Perventurus erat Sinicas citus hospes ad oras,*
*Quod breve spectabat, si patuisset iter.*
*Quique argenteus hinc ventis rapientibus isset,*
*Aureus ille domum mox rediturus erat.*
*Fregit hyems fortes, rabidumq́; invicta laborem*
*Reppulit, haud ulli pervia facta rati.*
*Me mittente viros regeres tu carbasa; tu, qui*
*Scis rigido liquidas esse sub axe vias.*
*Non est ulla mihi timido data laurea vati;*
*Sed possem casus scribere, credo, tuos.*
*Ingenij nostri modulum, immoderate Barenti,*
*Tu superas factis: dicere multa leve est.*
*Error hic obtrusit durissima pectora morti;*
*Aut vitæ, præ quâ mors quoquè læta foret.*
*Frigidus horror erat sic vivere: * frigidus horror*
*Nomen habet Batavâ voce, quod Indus, idem.*
*Indus enim mihi sunt, quas Iœas vocat undas*
*Patria: quæ * tinnit, littera sæpe perit.*
*Sæpe notes * quartam nostro sermone caducam:*
*Est, ubi * vanescant tinnula, & illa simul.*
*Missaque per varias vetus it concordia linguas:*
*Ipsa procul Batavis India verba dedit.*
*Prisca superstitio nostrum si polluat ævum,*
*Vulgus aquis Indum credat inesse Deum.*

* ijsingh/ ijsen.
* manc/ mac: Blinc/ blic: lingo, lic: stringo, str: tener, teer &c.
* lijden/ lijen: strijden/ strijen: mijden/ mijen.
* kinderẽ kijeren: anderen/ aeren: wanderẽ waeren: windel/ wiel: minden/ mien/ vulgo muije: tendre, teer: interdum contrario sensu; ut minder/ mier: ginder/ hier pro hinder/ i. nae hinderen. &

Nec

*Nec nihil est Indus, mihi crede, vocante poëtâ:*
*Carminibus melior nunc fluit ille meis.*
*Carminibusque dabunt vitam cum pondere Musæ:*
*Nunc quoquè quas adeò non pudet esse meas.*
*Quæ patrium stabiles mecum versantur ad Indum;*
*Mercurius licèt hìc multà dolosus agat.*
*Et licèt hìc odijs sint a quibus urgear atris,*
*Quòd mores priscæ simplicitatis amem.*
*Tranquillo tamen ut mihi sint mea commoda civi,*
*Et faveant docto, patritioque boni.*
*Quis neget esse bonos, quorum sedata potestas*
*Efficit, ut sua sit res quoquè salva bonis?*
*Non ego; fraterno mihi mitia pectora sensu:*
*Te, patria, atque viros diligo corde tuos.*
*E quibus ante alios Capitonibus utor amicis:*
*Horum unus nostrâ consul in urbe pater.*
*Vir mihi præclari caussà memorandus honoris,*
*Dignus & ingentes qui regat unus opes.*
*Filius haud longè Mudam tenet alter: ab illo*
*Pondera iam Batavus magna cothurnus habet.*
*Dignus ego certè, qui sic Capitonibus utar;*
*Si bene longinquis fecit avitus amor.*
*Olim Petrus avus curare negotia promptus*
*Vnius non in rem Capitonis erat.*
*Meque Giselbertus monuit pater (ô bonus!) est gens;*
*Cognomen caput est; hanc volo semper ames.*

*Herculè*

*Hercule, ſunt etiam ſecreti vincula nexus;*
*Hæc faciunt ut vir, quos neque novit, amet.*
*His & ego, & claro per me Capitonibus igne*
*Iungor, & in denſam cogor amicitiam.*
*Præcipuum verò dignor ſtudioſus amore,*
*Ac veneror Petrum nomine, Muda, tuum.*
*Quem fratrem mihi Muſa, deditque Batavus Apollo,*
*Affinem Iuno, Mercuriuſque parem.*
*Cuius adeſt iuſtæ generoſa modeſtia formæ, &*
*Grande decus nugas neſcia lingua loqui.*
*Hoofdius eſt autem noſtro ſermone vocandus:*
*Si tamen a capite hoc gens ea nomen habet.*
*Hoofdius ille ſuis utinam te, patria, rhythmis*
*Dignatus verum conderet auctor opus!*
*Quæ, reor, Iæis cenſenda recentior undis,*
*Amſtelredamum ſi bene nomen habes.*
*Non dedit ipſe tuis ſtationem puppibus Amſter,*
*Ipſe tuo quanquàm primus in ore fuit.*
*Nec fuit excluſus, quaſi ſæpe recurreret, ipſe;*
*Vnda ſed aggeribus ſemper iniqua tuis.*
*Vnda, cui acceſſit, quæ pars deceſſerat Amſtro,*
*Nomen ab Iæo iuſſa tenere* ſale.* * Am-brac.
*Seu magis a* tractu: fuit hoc porrectior Amſter,* * Am-rac.
*Liber in Iæas cùm properaret aquas.*
*Has, quibus eſt etiam, quod credo, vetuſtior Amſter:*
*Nomen enim priſcæ nobilitatis habet.*

*Sive manus illum Batava, atq; industria fecit:*
*Seu bruti ingenium, futilitasqe soli.*
*Ieus nostro si fluctus in orbe fuisset*
*Ante Giselbertos sæcula bina tuos.*
*Tu quoquè credo equidem in nostro orbe urbs facta fuisses*
*Ante Giselbertos, patria cara, tuos.*
*Nulla mage ad quæstum sedes foret apta Batavis,*
*Quos olim cæcos nempe fuisse negem.*
*Præsertim Amstelios. Prono loca digna videbant*
*Mercurio; & nervos expediêre suos.*
*Rem facere aggressi: Sanoredamensibus unà*
*Protinus haud lentis commoda certa sequi.*
*Ex illis abavus se contulit Amsterodamum,*
*Non iam piscosæ sollicitator aquæ.*
*Hic mihi, dixit, erit bene, eritque nepotibus olim;*
*Id quod ei felix cum Capitone fuit.*
*Si quis homo siccus, modò eram quia totus in illis,*
*Nil, ait, hic madidus, nil nisi garrit aquas.*
*Hoc sciat, esse in aquis meq;, atq; ea mænia, quæ me*
*Flumineo mergum progenuêre loco.*
*Patria nam tellus, cum læta exuberat æstas,*
*Corpora graminibus pascit opima suis.*
*Cum mala tempestas, & hyems pluviosa paludes*
*Obruit, est summæ tum neque vultus humo.*
*Omnia sunt undæ, latitantque sub æquore campi:*
*Tranquillo facies hæc solet esse mari.*

*Huc nisi vis veniat velis remisque, profectò*
*Nescio quâ possit magna venire viâ.*
*Qui bene nos nôrit, Venetis putet esse secundos,*
*Tam prope quin ponto considéamus abest.*
*Summa ea pars cæli est, a quâ descensus ad Arcton*
*Per triginta uno ceu minùs octo gradus.*
*A quâ, surgenti quæ vix a sole cadentem*
*Separat a mediâ linea dicta die,*
*Per tres non totas procul est spectare fenestras:*
*Tertia nam plùs quàm dimidiata patet.*
*Aula Giselberti locus hic erat ante quaterna*
*Sæculaq́; atq́; annos, me numerante, decem.*
*Aula, cui parens longè Amster habebat honorem;*
*Terraque, diductis quam rigat Amster aquis.*
*Aula aliquo firmata opere: id seu terrea moles,*
*Seu fuit egesto fossa sat alta solo.*
*Seu fuit abiegno constructum robore vallum:*
*Materies flammis apta perire fuit.*
*Et quid non possunt, quæso, consumere flammæ,*
*Vis quibus hostiles iunxit, & ira manus?*
*Interioris erant etiam pomaria septi,*
*Arboribus positis ordine silva ferax.*
*Ordineq́;, ac numero; spatium non defuit hortis:*
*Hic Pomona lares fixerat ipsa suos.*
*Quàm vetus arx illic steterit, quibus ardua saxis,*
*Me fugit; arx illic sed tamen alta stetit.*

*Haud a ponte procul, veteris cui nomen inhæret ;*
*Alteriusque, olim qui puto iactus erat.*
*Ponte procul nec ab hoc, nomen cui transitus olim*
*Ipse sacerdotum, mystica pompa, dedit.*
* Oue-zijs. Niewe-zijs.
*Tunc fuit, ut nunc est, ripæ* * *contraria ripa :*
*Et locus, occasum quæ tenet, arcis erat.*
*Altera non segnes, tum pagus, alebat agrestes ;*
*Vnde vetustatis nunc quoquè nomen habet.*
*Pagus, an oppidulum : nec id est dignoscere promptum :*
*Incola me populus iudice turba fuit.*
*Amsterodamensi nimiùm distabat ab urbe,*
*Quam si nunc spectes, umbra popellus erat.*
*Proximus ast arcem pater obtinuisse videris*
*Ante Giselbertos, Angeloberte, tuos.*
*Vt quoquè condideris non sum concedere pronus :*
*Est novus, esse tuum qui velit auctor opus.*
*Cur velit ignoro ; neque caussam tradidit ipse :*
*Non moveant nostram tam citò verba fidem.*
*Ni gravis accedat ratio, & quæ pondere constet :*
*Credula plebs laudat præ novitate nihil.*
*Hinc ea nunc scriptis nugarum copia libris :*
*Hinc ea magna meris gratia quisquilijs.*
*Atqui clarorum tu primus es Amsteliorum :*
*Longo præcedens ordine turba latent.*
*Nobilitate quidem nituere prioribus annis :*
*Nomina quæ fuerint dicere nemo potest.*

*Mult.*

*Multa fuisse reor: premit hæc sub nube vetustas,*
*Atraque nox nullo sole fuganda tegit.*
*Si tamen historicis hic tutum credere chartis,*
*Quod facio inductus cum ratione lubens.*
*Vulgus arundinibus tectas fluvialibus ædes,*
*Atque humiles habuit, sed sine labe, casas.*
*Lembus in aßiduo bene piscatoribus usu*
*Tunc erat, a quo gens Plempia nomen habet.*
*Lembus erat; plempam dixit plebs rustica, quæ nec*
*Iam didicit tenero molliùs ore loqui.*
*Nomen amat durum, quia res durißima lembus:*
*Semper is in medijs frigora sentit aquis.*
*Continuatque dies, nec prompto fine laborat:*
*Plùs vigilat noctes, plùsque quiete caret.*
*Iure olim Amstelius proprio possederit aulam,*
*Municipesque domi rexerit ipse suos.*
*An Traiectini sacrorum munere regis,*
*Quo pius Amstelium necteret ille suum.*
*Fallor, & obscuris dubius rationibus erro:*
*Pars Traiectini maxima iuris erat.*
*Credere si priscis liceat, quæ vidimus, Actis:*
*Quidquid id est, claræ vix reor esse notæ.*
*Hoc patet: Hollandum defuncto, vixque sepulto*
*Principe (Dirconum septimus ille fuit.)*
*Nata superstes erat: felix sine matre fuisset:*
*Mater Adam Tungro iunxit Alisa viro.*

 *Litem*

*Litem indignati Proceres, ſimul arma movebant :*
*Principis his princeps iam magè frater erat.*
*Principis abiecti, repeto, non ritè ſepulti.*
*Heu, pünxit viduos quàm dolor ille viros !*
*Sacra tuebatur qui Traiectina ſacerdos*
*Maximus, adverſi pars bona Martis erat.*
*Nec miſerabatur poſitum ſine honore cadaver :*
*Nec deerat ſtudijs fauctor, Aliſa, tuis.*
*Aurea captabat numerandos pondera nummos,*
*Millia quæ perhibent pacta fuiſſe duo.*
*Inque ſuam Hollandos ſtatuebat cogere curam :*
*Scilicet intererat ius retinere vetus.*
*Cauſſa Giſelbertum tetigit communis, ut hoſtes*
*Protinus Hollandos crederet eſſe ſuos.*
*Exciperet profugos cum Tungro blandus Aliſam ;*
*Duceret, ac tuto ſiſteret ipſe loco.*
*Sum brevis : Illud erat, rueret quòd in arma repentè*
*Cimmarus, & ſectus funderet agger aquas.*
*Illud erat , quòd in Amſtelios quoquè flamma penates*
*Iret, & arx valido cederet hauſta rogo.*
*Sic quoquè pometum perijt, Pomona receſſit :*
*Interijt culti ſic decus omne loci.*
*Inque caſas haud ulla fuit clementia Veſtæ ;*
*Turbaque dilatâ ruſtica flevit ope.*
*Pons erat Amſtelius, longum dixère priores ;*
*Iungebat ripas ligneus ille duas.*

*Vtili-*

*Vtiliterque viam præbebat euntibus. ustus*
*Desierit ripas iungere, necne, rogas?*
*Nescio: nunc alius longi quoquè nomina pontis*
*Servat, abestque meâ non procul ille domo.*
*Si tamen est idem locus hic, quo longus & antè*
*Pons fuit: Indæis, quas voco, distat aquis.*
*Mille quidem passus, aut ampliùs; ordine quartus:*
*Proximus arctoam te, nova Byrsa, videt.*
*Quod quoquè in ambiguo est, noster quot vixerit annos*
*Quæro Giselbertus. plus diciesne decem?*
*Miror; & annales quis homo sic scripserit istos,*
*Infima quos pariter plebsque, patresque legunt.*
*Amsterodamensis nimirùm conditor urbis*
*Claruit ante obitum, septime Dirco, tuum.*
*Postq; obitum Iani, cuius mala fama parenti*
*Velsanum thalamum succrepuisse canit.*
*Si numeres annos, vicenis addere centum*
*Conveniet: fuerit conditor ille senex.*
*Perpetuâ fixum semel hoc si mente sedebat,*
*Amstelredamum condere tempus erat.*
*Crediderim potiùs vel avi post tarda nepotem*
*Fata Giselbertum (tertius ille fuit.)*
*Oppidulum statuisse loco, quo vivere mallet,*
*Quàm procul a terris exul abesse suis.*
*Cuncta quidem primus dubiæ sua credere sorti*
*Visus amans litis, dissidijque fuit.*

*Nunc*

Nunc Traiectinum magè, nunc te, Cimmare, laudans:
Sive gerenda forent bella, paratus erat.
Seu fraus instituenda, suas socialiter artes,
Iungebatque dolos haud gravis ille suos.
Bis quinquagenos si vixit, & amplius annos,
Harminium serò nactus, ut antè, parem.
Extitit infelix diræ pars tertia culpæ:
Non illo tutus Florus ab hoste fuit.
Ast ego, qui vulgò non dinumerantur, eorum
Iste Giselbertus, credo, secundus erat.
Vsu & apud Florum valuit primarius heros,
Magnaque pars Batavæ nobilitatis erat.
Amsterodamenses graviora incommoda passos,
Res nimis ut miseris attenuata foret,
Fovit, ut exhaustis vectigal munere Flori
Cederet, id nec eos triste gravaret onus.
Verba Latina manent, monumentaq; muneris extant,
Amstelium fractæ signa vetusta rei.
Magnum habitura diu pondus, si crimen abesset,
Aque Giselberti vis truculenta manu.
O scelus, ô tristi facinus mox clade piandum!
Ob scelus haud bene sit me statuente meis.
Qui rabidus gladio Dominum iugulavit ut hostem,
Manibus, ô, pœnas datque, dabitque malis.
Puppam Gerardi vitiavit Florus adulter?
Fabula; fama quidem vult vitiâsse vetus.

Nec

*Nec non annales perhibent vitiâsse recentes,*
*Futile quos manibus vulgus, & aula terit.*
*Nuper idem retulit tragico vir nobilis ausu,*
*Iam caput ipsa suum quem bene Muda vocat.*
*Ore sed, ac decus is cultu sermonis adeptus*
*Sat beat eloquio patria verba suo.*
*Credere dissuadent veteres cum pondere rhythmi:*
*Verbulum in his ullum de scelere esse nego.*
*Vna enim adulterium vox visa sonare Batavis*
*Sunt duo nata merum verba notare iocum.*
*Qui iocus ad Venerem nequaquam pertinet ullam:*
*Dicat adulterium quis licet esse iocum.*
*Adde; cui ratio non est cur fidere non sit,*
*Totus de fædo crimine Beca tacet.*
*Heda refert. quid tum? tenet has iniuria chartas:*
*Fortè quod Heda refert, non tamen Heda refert.*
*Rem facit ambiguam verborum ibi turbidus ordo,*
*Absque quibus facilis sermo, bonusque foret.*
*Ridiculumque nimis nonos simul esse nepotes*
*Cæsos ob iuvenis nobile crimen avi.*
*Id tamen Heda refert? serò nugatur, & errat:*
*Posteritas priscis dat magis ausa fidem.*
*Famam rhythmographus (quisquis fuit ille virorum)*
*Principis haud voluit dedecorare sui?*
*Id quàm credamus, doceamur ut antè necesse est:*
*Callida non constat suspicione fides.*

*Nulla viro bilis fuit, ut mussare sepulto*
*Auderet modò de Principe turpe nefas?*
*Vllane credebat mordere cadavera posse?*
*Surdane spernebat Principis ossa viri?*
*Ergo feros ausus cur inclamare latrones,*
*Carnificumque malas exagitare manus?*
*Cur stomachum insignem diris ostendere dictis,*
*E Stygijs umbras si metuebat aquis?*
*Sitque nefas, cuius Florum iusta ira necârit,*
*Hunc veniâ prorsùs destituisse virum.*
*Qui non est veritus sævum vexare toparcham,*
*Accensus regem mordeat ille malum.*
*Non is adulterium grave censeat esse tacendum,*
*Si mala quæ chartis culpa notanda foret.*
*Ignorare nec est facinus potuisse putandus,*
*Fronte cui Florus notus & ipse fuit.*
*Scilicet & Flori puerum, & qui novit amicos,*
*Non e postremâ nobilitate viros.*
*Horum unum adiungit scriptor male nuperus istis,*
*Carnifices Dominum qui rapuère suum.*
*Vnica non geminanda errorem vocula fecit,*
*Quâ sine non Evan Bassaris ulla vocet.*
*Prætereà somnus, si fòrs obrepserat ullus:*
*Lapsus es ob somnum tu quoquè, Homere, tuum.*
*Ast ô scriptorem sapientem, Principis atra*
*Crimina qui didicit dissimulare sui!*

Impi-

*Impiaq; ambiguis scelera obtenebrare susurris*
*Cum tacito gemitu quem dolor ipse docet.*
*Ipse dolor, mentem verè qui pungit honestam,*
*Heu, Domini facinus cùm notat illa sui.*
*Improbus est, quisquis populo peccata Deorum*
*Suggerit, ac fermè falsa referre solet.*
*Nam bene præterquam quòd res est dura potenti*
*Vivere, & in vitium magna libenter eunt:*
*Clara vident omnes: melius sit prodere vulgum;*
*Vulgus in obscuris dormit adulterijs.*
*Sæpe culinares inter cantata labores*
*Nil me fœmineâ nænia voce movet.*
*Instaurata licèt priscæ in penetralibus aulæ:*
*Aula solet populum fallere, quando canit.*
*Quem sed & egregius Suelingius, aut amet Orpheus,*
*Pars & ego sicci tinnulus assa chori:*
*Accipio potiùs Florum non iure peremptum,*
*Sortis & augustæ morte luisse decus.*
*Regis erat pullus, foret ut regnare voluptas,*
*Optatumque suo non minor esse patre.*
*Artibus in studijs, quia vi non posset, habebat*
*Subdere, & Hollandos exuperare suos.*
*Surgebant animis iamdudum, ac viribus illi:*
*Pæne suo Princeps ordine motus erat.*
*Illa, bono cui sit, cui sit pro munere funus,*
*Lætari cæso Principe turba solet.*

*Nil delectat enim nisi libertatis honestas;*
*Arte bene hanc aiunt, hanc bene cæde peti.*
*Exemploque nihil vel pace frequentius isto,*
*Vel bello: rector, pugnet ametve, perit.*
*Insidijs agitur nocturnis atque diurnis.*
*Scitne truces monacho fama fuisse manus?*
*Si male cultellus, meliùs ferit acre venenum.*
*Quæ noceant, etiam lingua venena parit.*
*Formula construitur: pereas malè, Flore; virorum*
*Nobilium caligas collutulare soles.*
*Quàm bene Tarquinium pepulit Romana iuventus,*
*Tam bene nos hostes fractus adulter habes.*
*Gens gladio acquisita sumus: pro vulnere vulnus;*
*Sic quoquè nunc Batavis res repetunda sua est.*
*Ah, facile est odijs unum discerpere multis;*
*Res non est unum perdere magna virum.*
*Contra Principibus regnandi maxima mens est:*
*Mens ea divinus creditur esse furor.*
*Qui ferat? est, vigor est populo quoquè celsus: id hoc est,*
*Quòd, nisi vi, nemo regnet, ovetque diù.*
*Maiestas animis nimis ipsa virilibus apta est:*
*Mortalesque velut regia turba sumus.*
*Publica nobilitas res est, nullique negata:*
*Sæpius hinc sceptrum sordida dextra gerit.*
*Viribus, ut vivat, Princeps cingatur, & armis:*
*Illum sic etiam qui malè perdat, erit.*

*Quisquis*

*Quisquis homo gestat, gestet diademata cautè:*
*Nec pietas regi tuta sat esse solet.*
*Non ideò quisquam sapiens regnare recuset:*
*Condecorant summos summa pericla viros.*
*Hinc Deus ipse, hominum nulli nisi notus amore,*
*In cruce quærendum censuit esse decus.*
*Haud infelicem faciunt discrimina regem:*
*Ast ea, quæ victâ crimina lege valent.*
*Crimina percellit clarâ Deus igneus irâ,*
*Inque sacrum fatis addidit arma nefas.*
*Rex malus ipse sibi mortem consciscet, in illum*
*Si percussorum non ruat ulla manus.*
*Illud ego iubeam, regi sua vita perennet,*
*Nequitiâ pereat dum malus ipse suâ.*
*Sed frustra iubeam: sunt factæ ad vulnera dextræ:*
*Has, moneo, qui vis rex malus esse, cave.*
*Nate Giselberto, triplicansque hoc nomen, ab illo,*
*Quo perijt Florus, vulnere vulnus habes.*
*Tuque, paterque tuus. Pater, heu, procul occidit exul;*
*Luxit & ereptis damna molesta bonis.*
*Sanguine præterea Gerardo, & crimine iunctus*
*A socio dici latro latrone solet.*
*Hoc licet invito Florum perijsse putemus:*
*Nec nisi peccârit stultus amore senex.*
*Scilicet Harminij genero, Harminioque favebat,*
*Credulus illorum digna pericla suis.*

*Tu quoquè non poteras tutò patris arce morari :*
*Ast animi procul haud ire virilis erat.*
*Nec fueras nisi patre nocens : sua quisque prehensus*
*Crimina, ni fugiat, proximus ipse luit.*
*Sæpe tamen tardos tetigit vindicta nepotes,*
*Tangere cùm celeres non potuisset avos.*
*Si verum, Hornanus quod tradere Iunius audet,*
*Nescio quâ fretus, lapsus an addo, fide.*
*Sique Giselbertus fuit Iselstenius idem*
*(Nomina sunt eadem) qui fuit Amstelius.*
*Te citò correptum tetigit cum coniuge Bartâ :*
*Natus enim Floro principe Ianus erat.*
*Relliqueratque suos socero regnante Britannos ;*
*Mox & inexpertâ sumpserat arma manu.*
*Pontificem contra, qui Traiectina regebat*
*Sacra Brabantiaco vividus ingenio.*
*Et tua, quam modò cum, modò te sine Barta tenebat,*
*Arx erat Iselicæ flumina propter aquæ.*
*Nomen aquæ referens : hæc Iano cessit aperta*
*Belligero, dominum mox habitura Lupum.*
*Vulnus erat : gravius rebus fugere exul ademptis,*
*Nudus & attonsi Præsulis esse cliens.*
*Nec, nisi defuncto post dura biennia Iano,*
*In patriâ veterem quærere sede locum.*
*Quærere : non id erat vi vallo, atq; arce potiri ;*
*Non id erat pontes ædificare tuos.*

*Mænia non id erat, turresq́; attollere in auras:*
*Non firmum solidâ figere sede pedem.*
*Primula non modicam rudimenta refingere in urbem:*
*Robore non id erat tutior esse novo.*
*Cimmarias sed erat conando arcessere flammas,*
*Invidiamq́; ausis conciliare sibi.*
*AEger adhuc populus cùm vulnere Principis esset,*
*Altaque non tegeret triste cadaver humus.*
*Amsterodamenses vetus hoc agit ardor ab igne,*
*Candor & ingenuis provenit inde viris.*
*Ipse Giselbertus gemuit, bustumque reliquit,*
*Nescius Amstelijs fata favere suis.*
*Magna Philipporum cedant quibus arma duorum,*
*Ceu libertati tendere iussa manum.*
*Bustum erat, atq́; arcem penitùs consumserat ignis:*
*Bullierat coctis fervidus Amster aquis.*
*Fabula Phænicem vetus est ex igne renasci,*
*Tamque perire minùs, quàm magis usta perit.*
*Huius more novum caput ignibus Amsterodamum*
*Extulit, ac lucem cæpit habere rogo.*
*Tempus abit; fugiunt anni; mora nulla; ruuntque*
*Præcipites (mirum tam citò posse) dies.*
*Ianus enim Iano mox cùm succederet alter*
*(Non tibi, Flore, nepos, sed patruelis erat.)*
*Augente Hannoniâ nomen; bene frater amabat*
*Guidonem: Guido munere dignus erat.*

*Profuit*

*Profuit Amſtelijs accepto, ac præfuit ipſis*
*Octo bis, atque annos (tempora certa) duos.*
*Conſpicuo intereà eſt non ſegniter ordine functus;*
*Nempe ferens fratrum rebus amanter opem.*
*Præſtruxitque novis bona firmamenta paratis;*
*Noſque, reor, cives iuſsit is eſſe ſuos.*
*Iura, magiſtratuſque dedit, remque ordine noſtram*
*Compoſuit, ſancto conſtituitque modo.*
*Publica privatis coniunxit commoda lucris:*
*Expedijtque viam, quâ peterentur opes.*
*Quamque Giſelbertus nequicquam cæperat urbem*
*Condere, Guido ſuum fecit ùt eſſet opus.*
*Nec Traiectenſes apices cùm vertice ferret,*
*Amſterodamenſi defuit ergo rei.*
*Cæptorumquè fuit Guido memor ipſe ſuorum.*
*Aut quis te primus, patria, cinxit aquis?*
*Dic, age, dic; quis te portis incluſerat, extra*
*Quas quoquè caſca tibi dant monumenta locum?*
*Illa quidem Quarto bene fers accepta Philelmo,*
*Nomine reque Bono qui patre dignus erat.*
*Neptunum facilem locus opportunus habebat;*
*Et cives agiles fervida turba manus.*
*Turpe viro ſit id haud intellexiſſe videnti:*
*Guido tamen prudens, Guido patrator erat.*
*Patria, ferre potes; Guido tibi conditor eſto;*
*Guido Giſelberto non minor ipſe tuo.*

Pur-

*Purpureum alma decus voluit dare Roma neganti:*
*Tam cupidus nostri, tam studiosus erat.*
*AEre alieno aras exolvit Guido, focosque:*
*Regis enim locuples munere factus erat.*
*Ne qua videretur dilapsa pecunia luxu,*
*Parcus apud Francos rege vidente fuit.*
*Nobilis, ô, sanguis, thalamoque profectus ab alto!*
*Frons ornet nostros iam quoquè picta lares.*
*Dignus Nestoreos Guido qui viveret annos,*
*Funere mortalis desijt esse bono:*
*Cùm tria Templares iacuisse triennia ferret*
*Fama, nec e tumulis surgere posse suis.*
*Iam sectamur opes centum ter & amplius annos:*
*Ecquis avaritiæ denique finis erit?*
*Crede mihi, quoquè nostra suum Respublica finem*
*Quærit, & ad vetus est pòst reditura nihil.*
*Hactenus hos poteram facilis conscribere versus,*
*A quibus haud multùm, patria, frontis habes:*
*Currebant plures, sed erant sine pondere verba:*
*Vana bonus sine me verba locutor amet.*
*Tene tuo mihi erit fortuna referre colore?*
*Non ego, quæ fueris prima, silebo diù.*
*Si modò sit casus veteres reperire libellos,*
*Materies chartis unde petenda novis.*
*Publica scrutari modò si quoquè scrinia fas sit:*
*Credo, in ijs quædam non reticenda latent.*

*Ipse etiam, iusto quem dignor honore, Senatus*
*Multa patrum longâ traditione tenet.*
*In medium exponenda. tenet quoquè nomina rerum*
*Nempe vetustarum quid sibi casca velint.*
*Simq; ego, qui versus faciam, non pauca docendus,*
*Pollice quæ nequeo sugere ducta meo.*
*Sed si membranæ veteres, si Curia desit,*
*Forsan abortivam te tamen ipse dabo.*
*Vtque sit ingenij mihi nec minùs, ac fuit antè,*
*Carminibus forsan nobilitabo meis.*
*Res ea faxo tuis sit grata Quiritibus, in me*
*Sinceros motus si quoquè candor habet.*
*Ni Deus huc annos neget, & nisi perneat ævum*
*Antè mihi Lachesis, quàm bene Musa canat.*
*Nullum fata diem nobis sine lite dederunt,*
*Inq; omnem horam mors ius habet atra suum,*
*Præter eà faciles mihi sunt in carmina Musæ:*
*Accuser, si te, patria, mutus amem.*
*Otia nec desunt: neque caussis luctor agendis;*
*Bella quod officij plebs putat esse mei.*
*Nec sit ab exemplis illud discedere honestis,*
*Patria, patritio te canere ingenio.*
*Iam tamen hoc tribui tibi (nec pro munere posco*
*Munera; quæ mea sunt, debeo cuncta tibi.)*
*Vt perdat vel aquis te nulla, vel ignibus ætas.*
*Quotquot amant Musas te, monogramma, legent.*

*Civi-*

*Civibus eque tuis aliquem ſcripſiſſe Latinè*
*Turba ſolæciſmis prorsus iniqua ſciet.*
*Turba ea, quæ magnum numero nunc occupat orbem,*
*Quæque libros nimiâ ſedulitate legit.*
*Quæ quoquè turpe putat nugas neſcire; diſertæ*
*Sint modò, & haud abſint a novitate procul.*
*Tu brevis, ô, video, tamen, ô modicelle libelle,*
*Invenies hoſtes, ac patiere tuos.*
*Invidiæque fero dente, ac laniabere morſu:*
*Perfer: agunt manes nunc quoquè magna mali.*
*Sacra quoquè, ah, ſophia, ah, variam diſcrimine fædo*
*Solvitur in ſphingem: terror & ipſa ſibi eſt.*
*Nempe & erunt, tibi qui ſtudeant te oſtendere tetrum;*
*Hircus adunca quaſi cornua fronte geras.*
*Aut quaſi rhinoceros magno ſis bellua naſo:*
*Aut quaſi tam ſimilis, quàm canis ipſa, cani.*
*Teſtor ego: volui mala mens ut abeſſet, & hoſtis*
*Nil graviter dictum crederet eſſe ſibi.*
*Eſt autem tenerâ multis nunc ulcus in aure,*
*Blanda quibus ſi non verba loquare, noces.*
*Iſtis, dum luſi potero læſiſſe videri;*
*Ingenuum carmen nil niſi crimen erit.*
*Neglige: namque viris talis cenſebere iuſtis,*
*Qualis es; ac bene te ſcripſero civis ego.*

*FINIS.*

Cornelio Plempio.

DVas iam a te epiſtolas accepi. quid dicam? affectui tuo debeo. Brumam meam laudas: ſed vincis. Sic de AMSTERODAMO tuo judico. Bonum ſanè civem agis ſic ſcribendo: tribuis urbi, quantùm nullæ divitiæ dabunt. Amo pietatem iſtam; te veneror bene in me quoquè affectum. vale. Lovanij, occupatus ſcribo, in Arce VIII. Eid. Auguſti cIↄ Iↄc xv.

*Tuus Erycius Puteanus.*

---

Legendum.
Pag. 8. in marg. pro mer/ emer.
Pag. 24. verſ. 8. pro hocte, hoſte.



CORNELII GISELBERTI

PLEMPII

# QVISQVILIAE,

ſeu

*ELEGIARVM*

LIBER VNVS.



AMSTERODAMI

Apud Ioannem VValſchardum

cIↄ Iↄc xvi.

C.G. PLEMPII.

# QVISQVILIAE.

## ELEGIA I.

EST in Parnaſſo nemus, eſt ſua vatibus umbra :
Est quoquè, qui reddat carmina ſacra, locus.
Vtpote ſunt divina hìc omnia, & omnia numen :
Te cantando neces ; mors tua numen erit.
Nauſeet hìc aliquis, fiet quoquè nauſea ſacra :
Febricitet, ſacra mox res quoquè febris erit.
Hìc pede equi factis, mihi crede, madentia limphis
Mystica Pegaſeum ſtercora numen olent.
Numen inest folijs paßim per gramina lapſis :
Quiſquilijs etiam numen ineſſe ferunt.
Abſtulerat pridem me neſcio quis furor illuc ;
Eſtque ſacer mecum factus is ipſe furor.
Mox aderant Muſæ, ſimul & facundus Apollo :
Dixit Apollo prior : tu quoquè noster eris.
Tu quoquè noster eris, Muſæ dixère ſecundæ,
Si vel quisquilias verſificator ames.
Quiſquiliæ iam carmen erant, quas dexter amabam
Tollere, dixiſſet ſi mihi Phæbus, abi.
Tollere erat studium, iuvenis ne forſan abirem
Nil Parnaßiaci dignus habere ſacri.
Turpe, diù quis ubi steterit, nihil inde referre :
Lecta peregrino littore concha placet.

Postquam

*Postquam animadverti (mala res mihi visa profectò)*
*Quisquilias Musis posse placere bonis.*
*Si quis eas gracilis modò versificator amaret,*
*Et modulis dignas crederet esse suis.*
*Mox miseros elegos animus cantare ferebat,*
*Et thalamis aptos vilia verba iocos.*
*Sum ratus hos minùs haud placituros esse Camænis,*
*Quam nullo dignas carmine quisquilias.*
*Atq; id erat: placuère magis: sed dixit Apollo,*
*Quæ canis, hæc aliquod nomen habere volunt.*
*Nonnihil hærebam: mox libera lingua locuta est:*
*Has, age, Quisquilias nomino, Phœbe, meas.*
*Risit is, ac Musis lepidè annuit: unà ego risi.*
*Nunc bene Quisquiliis nomen inesse puto.*
*Sunt, qui de nugis magnâ cum laude loquantur:*
*Sunt, qui de magnis rebus inanè canant.*
*Verba ego materiæ si convenientia feci;*
*Ingenioq; usus non putor esse nimis:*
*Gaudeo, satque bene est: nolo nimis esse poëta:*
*Ambitiosa nec est digna Thalia coli.*

## ELEG. II.

A *Te dictatis mihi, parve Cupido, libellis*
*Supposui flammas: molle peribit opus.*
*Non amo, quos scripsi te præceptore lepores:*
*Non amo desidiæ tot monumenta meæ.*

*Ite leves versus Elegi, atq; Epigrammata in ignes:*
*Tu citò nata prius nunc citò, Musa, peri.*
*Carmina Quisquilias non ambitiosa profectò*
*Nescio cur tecum non abolenda putem.*
*Interea tua fata mihi celeranda videntur:*
*Vtpote iampridem vivis inepta diu.*
*Perdite rem calidam mea carmina, perdite flammæ:*
*Antè labor Troiam perdere parvus erat.*
*Me facies quovis magis ardentißima philtro,*
*Vique suâ superans pocula siccus amor.*
*Torruit: at multâ hos ignes virtute repreßi;*
*Extinxique faces, belle Cupido, tuas.*
*Dicebas, puer, interea m, nisi turpe cadaver*
*Mox eris, & stygiæ fæda saburra ratis.*
*Mille in me missæ me prætereière sagittæ;*
*Iamq; erat in pharetris aurea nulla tuis.*
*Vtque scopo plumbum meliùs defigere posses,*
*Protinus exposui pectora nuda tibi.*
*Iam nec erat magni facies cælestis: amari*
*Nempe videbatur, sed sine amore, sibi.*
*Ista verecundus cecini, & mea tota pudica*
*(Non etiam verò tetrica) Musa fuit.*
*Ingeniosa fuit, fuit & mea Musa diserta;*
*Nobilis, ac forsan tota Latina fuit.*
*Verùm stulta fuit, fuit (haud excuso) Thalia*
*Mollis: id hanc flammis interijsse facit.*

F *Bellus*

*Bellus Aristarchus cantata Cupido probabat*
*Somnia, & in nugas censor amicus erat.*
*O, bene dicebat, gemis hìc; bene faris in isto*
*Carmine de tenebris, deque furore tuo!*
*Cætera non refero: neq; enim mala Musa peribit,*
*Funere quò fiat notior illa suo.*
*Ergo quidem vanas ardens solvatur in auras*
*Protinus, atque leves diffluat in cineres.*
*Quotque libelli, & quàm doctæ periere papiri!*
*Posteritas nugis nec sit amica meis.*
*Tu quoquè fama peri; nihil es nisi futilis aura:*
*Nec gravis es; Nothus, ah, te Zephyrusque ferunt.*
*Tu facis, ut placeant, qui sunt procul; haud placituri,*
*Si sint præsentes: perfida fama peri.*
*Es speciosa quidem sicut color Iridis: illum*
*Credimus esse aliquid; scimus at esse nihil.*
*Vidi ego, queis toto nomen tonat orbe sonorum,*
*Quos colit Eoum littus, & Hesperium.*
*Vidi, ac sum coram nihilo prohibente locutus:*
*Gloria stat peregrè, vir iacet ipse domi.*
*Gaudet, & exultat, qui se putat esse poëtam,*
*Et parat in cælum versibus ire suis.*
*Carmina sunt alæ, quales si fingere scisset*
*Dædalus, Icarijs nomen ab esset aquis.*
*Felix, qui abiectum potuit fugere altus amorem:*
*Dignus erit quondam nomen habere viri.*

*Qui pipit ipſe ſuos veluti paſſerculus ignes,*
*Ille parat capiti myrtea ſerta ſuo:*
*Ille gerat thyrſos, hederas, Bacchique corymbos,*
*Qui Bacchum, & poto carmine vina canit.*
*Debet Apollineâ vates ſua tempora lauro*
*Cingere; id eſt caſtè, compoſitèque loqui.*
*Ac refert, quo quis titulo ſua ſata ſuperſtes*
*Tranſeat, ut memori vivat in orbe diù.*
*Fama gravem ſequitur; muliebrem infamia Muſam:*
*Nominibus variæ vis rationis ineſt.*
*Hæc decet, hæc maculat vivacia carmina; demens,*
*Culpâ immortalem quem iuvat eſſe ſuâ.*
*Ille ſuum ingenium vecors, nomenque flagellat,*
*Quem iuvat obſcænos ore cacare iocos.*
*Cùm declarandis vox rebus verba miniſtret,*
*Cur magis, heu, quàm res, cur magè verba placent?*
*Verba indocta loqui prohibet cenſura poëtas:*
*Nonne minùs vatem res vitioſa decet?*
*Aut ſi nil refert quid rerum quiſque loquatur,*
*Omnis item vates pſittacus eſſe poteſt.*
*Et qui multa ſolet nullo diſcrimine turdus*
*Dicere, & e vacuo fundere ventre ſonos.*
*Perfacile eſt levibus bona tempora perdere verbis:*
*Surgit ab auguſtis nobile rebus opus.*
*Pondus ineſt rebus; quibus addite verba, poëtæ:*
*Vt peragant partes linguaque, menſque ſuas.*

## ELEG. III.

*QVàm prope pulchellæ, quas paßim vulgus amamus,*
*Quàm prope materies sunt rationis inops!*
*Fluxaque quàm prope sunt, ac dempto corpora melle*
*Mollia tangentes nata tenere manus!*
*Condidit eximiâ statuarius arte puellam,*
*Fictilis ut poßit cera placere viris.*
*Cerea, si Dea sit, dici queat illa Voluptas,*
*Aut Venus, aut Veneris de Iove pulchra soror.*
*Noxia, quæ vitam mortalibus eripit, illam*
*(Si placeat Superis) huic dare Parca velit.*
*Et dabit, & iam dat; iamiam dedit: ipsa repentè*
*Iam quoquè, iam poterit viva puella loqui.*
*Non lòquitur? mihi crede, satis mox multa loquetur:*
*Nulla solet mulier, nulla tacere diù.*
*Protinus ipsa suos laudabit bella capillos,*
*Laudabitque genas protinus ipsa suas.*
*Frontem, oculos, dentes, laudabit garrula mentum,*
*Collumque, atque humeros protinus ipsa suos.*
*Audebitque suis Paphiæ postponere mammas,*
*Et vitium vitio dicet abesse suo.*
*Si tamen hoc vitium patitur natura vocari,*
*Cuius abest casto nomen ab ore procul.*
*Mox infernè volet quoquè virgo venusta videri,*
*Extolletque imos laudibus ipsa pedes.*

*Denique suadebit vel me, vel amate puellam,*
*Quæ similis formæ nobilitate mihi.*
*Quamque sit amplecti, quam dulcis habere voluptas:*
*Quærite; non procul hinc forsan habenda latet.*
*Ite viri; moneo: Venus est mihi caussa monendi:*
*Illa Venus, cuius pars quoquè magna mea est.*
*Cuius ego exemplum, specimen, certusque character;*
*Ipse Amor ut matrem me putet esse suam:*
*Audiet hæc aliquis, fietq; infamis adulter,*
*Atque laboratas dilapidabit opes.*
*Cogetur prætor duris ibi legibus uti;*
*Augustique petax pondere iuris erit.*
*Tum reus haud dicet, nil dixit cerea nympha;*
*Sed dicet, culpam suaserat illa mihi.*
*Vile cor est homini, surdoq; ignobile sensu,*
*Qui negat esse suo signa diserta modo.*
*Sed tamen hæc taceat de multis una puella:*
*Spectanti species muta nocere potest.*
*Qualis inest herbis sanandi vulnera virtus,*
*Qualeque lædendi toxica virus habent.*
*Vis in imaginibus talis quoquè vivit honestis,*
*Emendatque oculis hausta perinde viros.*
*Talia imaginibus præsentia turpibus insunt,*
*Dementantque oculis hausta venena viros.*
*Heu, quæ nequitia est pulchras spectare puellas!*
*Si modò sit ceræ frons speciosa, nocet.*

*De visâ quis non flammam hausit imagine? quis non*
*In formâ magnum sensit inesse malum?*
*Hostis amet nudas Stygius spectare puellas:*
*Gratior est oculis vestis honesta meis.*
*Virgo iacet capite in cubitum incumbente; moventi*
*Tam similis, quàm quæ crura, manusque movet.*
*Non movet; ah, stulti; totum est, quod creditis, error:*
*Marmoreo nullus prodit ab ore pudor.*
*Conde femur, si quid formosa iuvencula sentis:*
*Si quid frontis habes, conde puella femur.*
*Copore nuda iaces toto, neque virgo rubescis?*
*Sunt spectatores proxima turba viri.*
*Hanc, ago quam frustra tam multis alloquor, ingens*
*Haud secus ac Divam cernua turba colit.*
*Atque putat lepidæ spectari posse iuventæ*
*Tam tutò, puero quàm gravis ora viri.*
*Fabula longa fuit: vultus, collum, atque mamillæ:*
*Quicquid præterea est, fabula longa fuit.*
*Tum verò castæ nimis erubuère puellæ;*
*Quæque pudica foret, discere tempus erat.*
*Multæ autem vidère: sed & risère; minùsque,*
*Quàm statuæ, multis, crede, pudoris erat.*
*Vna quidem rigido constans insigniter ore,*
*Si quoquè quid tectum est, hoc videamus ait.*
*Quodq; erat obductum, femori velamen ademit:*
*Moxque quid in pulchro corpore turpe fuit.*

*Menda*

*Menda inhonesta nimis; nec nomine digna Latino:*
*De vitio nescit Musa pudica loqui.*
*Nemo mihi objciat; non est in imagine quicquam,*
*Quod moveat mentem seu bene, sive malè.*
*Varro viris habuit, quorum ora videbat honorem;*
*Ora sed a doctâ perbene picta manu.*
*Et Nero crudelis Senecam superesse putabat,*
*Dum foret in magnâ parva tabella domo.*
*Sævit in effigies obscæna venefica, cùm vult*
*Longinquis ferro, aut igne nocere viris.*
*Facta Quirinorum simul & referentibus ora*
*Saxeus in saxis nil nisi saxa videt.*
*Artifices digitos regeret si nostra potestas.*
*Nulla pudicitiæ noxia signa forent.*
*Virtutesque virûm simul ac benefacta referrent,*
*Oraque doctorum suspicienda senum.*
*Varro ego, non Nero sim; pereatque venefica longè*
*Invidia, & pictis sit sua pompa tholis.*

## E L E G. IV.

*OBijcis ambiguas mihi sæpe dicacula noctes:* Ex Propertio.
*Mollia deterior crimina sexus amat.*
*Cùm semel allubuit vobis damnare pudorem,*
*Lege voluptates, more, modoque carent.*
*Mulciber arreptis citiùs morietur aristis,*
*Et repetent fontes flumina versa suos.*

*Portus*

*Portus erunt nullo ratibus discrimine Syrtes,*
*Excipiet placido vela Malea sinu.*
*Quàm valeat vestros quisquam cohibere furores,*
*Iustaque nequitiam frena docere pati.*
*Incursu ut caperet Cretæi turpia tauri*
*Gaudia Pasiphaë lignea vacca fuit.*
*Præcipitem ÆEmonius Salmonida mersit Enipeus:*
*Hæc peritura fuit, ni deus ille foret.*
*Myrrha parum cauti venerem furata parentis*
*Arbor quæ fieret femina digna fuit.*
*Medeam refero: natos truculenta peremit,*
*Ipsaque discerpsit, mater & ipsa suos.*
*Fama Clitemnestræ quas non quoquè percutit aures?*
*Illa virum; natum non necat illa suum.*
*Scylla patris crines victuro tradidit hosti;*
*Atq; ait, acceptis accipe regna comis.*
*Dos est illa quidem; Minos, cape pignus amoris:*
*Spem nullam tonso vertice Nisus habet.*
*Vos si sciretis patienter amare, puellæ;*
*Quæ nunc est, nunquam Scylla fuisset avis.*
*Vir meritò Minos, dat iura silentibus umbris:*
*Vincereq; & victis parcere gnarus erat.*

ELEG.

# ELEG. V.

## MENELAVS HELENÆ.

*Ecquid ut allata est ad te mea epistola, totâ*
*Protinus illa tibi est, virgo, recepta manu?*
*An digitis ægrè summis apprensa pependit?*
*Nempe quòd hanc caperet non bene plena manus.*
*Plena manus; sed perfidiæ: si hoc scire laboras.*
*Atq; utinam sit nunc dextera magna tibi!*
*Famosi sceleris superat mensura maniplum:*
*Nec poterit digitis (prô pudor!) illa tegi.*
*Crescet, & immensum se dilatabit in orbem,*
*Nullâ humilis, nullâ parte futura brevis.*
*Plutonisque pedes, apicesq; infamia mundi*
*Tanget, ubi multùm numina frontis habent.*
*Plus tamen irarum: nam, si potes, aspice cælum;*
*Nescio quem, dices, perfida gesto metum.*
*Quippe lacessiti vis hæc Iovis, ut quoquè cùm non*
*Fulminat, horrorum pectora mole premat.*
*Sed ne forte putes verbis melioribus esse*
*Vtendum, quasi nec sim tibi iure gravis.*
*Invêni tabulam: manibus seu forsan euntis*
*Excidit; incautè sive relicta domi est.*
*Sive aliquid, mihi ne tota eriperere, relinqui*
*Debuit; inspexi: nobile crimen erat.*

*Non mihi; ſed Paridi placuiſſet epiſtola. quid tum?*
*Crimina ſint Paridi grata, moleſta mihi.*
*Nam doleo, & fateor; tuq; es mihi cauſſa doloris:*
*Tuque mihi magni cauſſa laboris eris.*
*Exitij Phrygibus: ſi non auditur Vlyſses:*
*Quod precor, ut Phrygibus ſit, Danaiſque bene.*
*Sique ſapit Priamus. ſed quò tibi tanta? ſilebo.*
*Sum vir, apudque viros grandia verba loquar.*
*Illud habe: ſciſti Troiæ regina furorem*
*Pulchrè raptori ſignificare tuum.*
*Si Paris ex iſtis nequijt cognoſcere verbis*
*Quid cuperes, ſanè Phryx rudis ille fuit.*
*Diſsimulas porrò ſcelus haud ſatis auſa fateri:*
*Ac velut horreſcis turpe virago nefas.*
*Dum Menelaüs abeſt, bene rem gero ſedula coniux,*
*Nunquid id in mentem venerat ergo tibi?*
*Hoſpes, an hoſtis eras, rogitas. ô femina fallax,*
*Fallax, & ficti plena dolis animi!*
*Deinde nec agreſtis, neque vis moroſa videri:*
*Comibus, ac lepidis gratia maior adeſt.*
*Cur tua commendas homini, cui turpe placere?*
*Munera non; Paris eſt, qui placet ipſe tibi.*
*Dì meliùs: Venus eſt, quæ te promiſerat illi?*
*Nempe Panomphæi filia vera Iovis?*
*Tyndari, quotquot amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt.*
*Non ego adulterijs credo favere Deos.*

*Te Venus; hæc quæ te mihi præsentißima iunxit,*
*Te semel hæc voluit, semper & esse meam.*
*At proba non poteras scelus evitare nefandum,*
*Teque modo magni militis ursit amor.*
*Non Deus est, amor est ardens sine lege voluntas.*
*Isti in te adverso, perfida, tute pede.*
*Tu tibi difficilis, tibi & hostis, & arma fuisti.*
*Cur hoc, non alio vincis (id ede:) modo?*
*Ipsa licet venias vehemens in prælia tecum,*
*Sisque vel Alcides, vincere utrimque potes.*
*Hoc scelus ergo tuum est, nullumq; est crimen amoris:*
*Sed tuum, ut hoc discas denique, crimen amor.*
*Illud ais? Menelaë, domo securus abisti,*
*Cùm tibi suspectus debuit esse Paris.*
*Nec tua simplicitas, quæ te, Menelaë, fefellit,*
*Commoda formoso debuit esse viro.*
*Sæpe quidem audieram, pulchris nil crede puellis;*
*Pulchrarum stabilis non solet esse fides.*
*Quanta sed hæc levitas, quantus furor! ipse per undas,*
*Nec procul e Phrygiâ velle redire domum.*
*Non si te nullus teneat Paris: hoc ita nempe*
*Suspicor: ut nil sit, quod Menelaüs amet.*
*Tu mihi magnus amor, studiumque perenne fuisti:*
*Nunc labor es vitæ, naufragiumque meæ.*
*Et pudor, atque tui generis nota peßima, & ingens*
*Opprobrium, & quantum dedecus esse potest.*

*Euge, fac ut redeas; pius hanc ignovero culpam,*
*Nullaque pro summo crimine damna lues.*
*Quid loquor? i pietas: crudeli Marte gerenda*
*Res erit: ulla tui non tibi cura viri est.*
*Sæpeq; ais Paridi, pereat Menelaüs, & omnis*
*Græcia, quanta dolet me placuisse tibi.*
*Tu pereas, Helene: neq; enim meliora supersunt*
*Fata tibi: irato es, perfida, digna Iove.*
*Simplicitas, pietasque nihil didicere timere:*
*Affligunt solos numina iusta malos.*
*Quanta beatorum cessit mihi turba procorum!*
*Vnus ego te, te iudice, dignus eram.*
*Et vir eram, neque deformis, neque pronus ad iram:*
*Meque colit regem sobria Sparta suum.*
*Tu fugis. uxori sumne insidiatus ut hosti?*
*Armavine feras in tua fata manus?*
*Quod scelus admisi ut turpi Phryge vilior essem?*
*Substruxine bonis funera certa cibis?*
*Suspectusne malo vitiavi vina veneno;*
*Inque tuam apposui pocula pulchra necem?*
*Ex quo te duxit, semper Menelaus amavit:*
*Officio nunquam defuit ille suo.*
*Tu quoquè me deamâsti, & magno ardoris hiatu*
*Haustum gestâsti plena puella virum.*
*Barbarum & observem Paridem anxius? Hunc ego (fando*
*Crediderim Græcum solvere posse torum?*

*Iam*

*Iam tibi cùm gravior mentem firmaverat ætas,*
*Hunc tecum Troiam posse venire suam?*
*At formosus erat: vultu; sed pectore turpis,*
*Et malus, & patriæ certa ruina suæ.*
*Laomedonteæ nescis periuria gentis?*
*Phryx, qui te rapuit, perfidus esse potest.*
*Esse potest, & erit: Priami pater ipsa fefellit*
*Numina, & Alcidem: Sed luit ergo nefas.*
*Vincis & OEnomen, cunctasque venusta puellas,*
*Tuque potes Paridi sola placere tuo?*
*Cæperis at subiti sentire piacula morbi;*
*Es nunc, sed non es pulchra futura diù.*
*Fronte places Paridi; ast utinam quoquè adultera non*
*Hoc in te vitium damnat & ipse Paris. (sis!*
*Quodque tuæ primos nos virginitatis honores*
*Carpsimus, indignum seque, suisque putat.*
*Quicquid habet, nihil est nisi deflorata voluptas;*
*Nil nisi divulsi pars inhonesta tori.*
*Conijce: cur lusit falsi sub imagine cygni*
*Iuppiter? ambiguus maluit esse pater.*
*Pellicis. aut potiùs studuit non esse videri.*
*Aut certè haud lusit denique, nec pater est.*
*Nec pater est Helenes: de cygno atq; ansere nata*
*Es levis, es similis perfida prorsùs avi.*
*Quàm citò venisti Phrygiam Lacedæmone Troiam!*
*Non ego te ventis credo fuisse gravem.*

*Rumor in AEgyptum vos hinc abiisse ferebat:*
*Fallaces fallax vult quoquè fama sequi.*
*Tardior e Phrygiâ demum viscata redibis,*
*Suspicor; aut nunquam: sed retrahère tamen.*
*Hoc scio: Dì nobis sua iam responsa dederunt,*
*Clara, nec ambiguis litigiosa notis.*
*Tracta tuo tandem Menelao Tyndaris ibis;*
*Vinctaque, non veram quæ dedit antè fidem,*
*Dextra teget clunes, ignominiosaque dextra*
*Abiiciet laudes post mala terga bonas.*
*Nam quos expectes mulier præclara triumphos?*
*Nil, quod te deceat, Græcia pauper habet.*
*Nos gens parca sumus, cultu contenta severo,*
*Sordida, neglectis aspera deliciis.*
*Ibis humi, Graias non alta ferere per urbes:*
*Pone premet calces plebs inhonesta tuas.*
*Vndique te ferient densi mala murmura vulgi:*
*Plena erit opprobrio fabula longa tuo.*
*Iure igitur metuis raptum ne bella sequantur.*
*Si bene me nôras, plùs metuendus eram.*
*Illud erat, quod fata ferunt, Menelaon in armis*
*Affore, qui Troiam perdat, opesque Phrygum.*
*Quamvis, qui fuerat quondam pudor integer in te,*
*Restitui nullo, perfida, Marte potest.*
*Troia ardere potest: sic vaticinante Sibyllâ.*
*Et satis est uno posse perire modo.*

*Vrbis*

*Vrbis in excidium ſat erunt audacibus ignes:*
*Ignibus his vires fata, Deuſque dabunt.*
*Tuque mihi pœnas: tua nam tibi probra voluntas,*
*Non gravis eventus, non Iovis ira dedit.*
*Concilium valuit: ſederunt ordine Patres:*
*Omnis ibi dixit calculus, Arma placent.*
*Frater, & eximius mecum pugnabit Vlyſſes:*
*Et meliùs Neſtor, quàm modò, notus erit.*
*Dein iurata cohors Rivales. arma poëtæ,*
*Cantabuntque Phrygis prælia falſa proci.*
*Tu Paridis pellex, Menelaï perfida coniux,*
*Pulcher eris longæ floſculus Hiſtoriæ.*

## ELEG. V.

## PENELOPE VLYSSI.

*QVando redis; aut quãdo, ubi ſis, mihi ſcribis, Vlyſſe?*
*Nec vir Penelopes deſinis eſſe tuæ?*
*Alterane ergo alijs delebitur Ilios armis?*
*Ilios ex flammis nempe renata ſuis.*
*Nec tua manſueſcet per laſſa decennia virtus?*
*Sic tibi bellandi ferreus ardor ineſt?*
*Quam neque fama refert, ignobilis Ilios illa*
*Numquid Vlyſſeæ eſt digna labore manus?*
*Vna ſatisfaciet Danaïs vindicta puellis.*
*Sat Paris exitij, ſat ſibi, habetque ſuis.*

Bella

*Bella, & omitte dolos, neve, insidiose, caballos*
*AEdifica: libeat nunc meminisse mei.*
*Omnia iam scimus: virides sunt Pergama campi:*
*Seque sciunt tardi desipuisse Phryges.*
*Tu magis eluces Troiano clarus ab igne:*
*Nostra Ithaca in miris nomen Vlyßis habet.*
*Inque dies crescit multos tibi fama per annos,*
*Nec Troiâ captâ te valuisse negat.*
*Nec valuisse negant reduces cum Nestore Achivi:*
*Ergo vbi longinquo tardus in orbe lates?*
*Nam te nulla tenet, neque Troia tenebit, opinor,*
*Altera: sed vis, at non potes esse domi.*
*Post longos cui non sunt otia grata labores?*
*Te finem in factis credo, modumque sequi.*
*Viuo etenim, atque domum nondum redeuntis Vlyssei*
*Nescio consilium quod misera esse putem.*
*Casus is est, an proposito pars optima vitæ*
*Sub procul ignoto deperit axe tibi?*
*Quam semel ipsa dedi, firmatis fœdere verbis,*
*Hanc tibi Penelope servo pudica fidem.*
*Cumque fidem acciperes, tunc me vehementer amabas:*
*Et memor es flammæ, suspicor, ipse tuæ.*
*Blandus eras, alias non dilecture puellas:*
*Summa fui curæ Penelopeia tuæ.*
*Constantemque levis non mutat casus Vlyssem:*
*Nec tibi sum facilis nupta puella viro.*

*Meque*

*Meque laborabas paribus tibi iungere votis:*
*Tum pius inpensè, tumque benignus eras.*
*Nec formoſus eras, ſed eras facundus Vlyſſe.*
*Mirum, quàm poteras optima verba loqui!*
*Quæ tibi Penelope, quædam quaſi Pergama, quondam*
*Arte, & ope, & ſtudio, & vi capienda fuit:*
*Hanc quoquè relligio ſit deſeruiſſe, priuſquam*
*Verſa ſit in cineres iuſſa valere ſuos.*
*Dum valet, ac vivit, tua ſit: tueatur oportet*
*Longo iam ſalvam tempore caſta fidem.*
*Dixi: ut abes, mecum tua nemo cubilia tangit.*
*Purus, quo iaceas, eſt torus ille; redi.*
*Si non in cæcum iam deturbatus Avernum*
*Vltimaq́; & paſſus triſtia fata iaces.*
*Idque mihi Icarius pater occinit uſque, doletque;*
*Et, tuus eſt nunquam vir rediturus, ait.*
*Nube vel Antinoo, qui te petit acriter, aut, ſi*
*Vis magè, Piſandro: deinde ubi dura nego:*
*Penelope, fruſtra tantùm ſperatur, Vlyſſem*
*Rurſus in amplexus poſſe venire tuos.*
*Ille domi dudum, ſi non periJſſet, adeſſet.*
*Scit ſapiens rebus quid ſit abeſſe ſuis.*
*Solaque quæ mulier patiare incommoda coniux.*
*Quò viduam ſerves ergo pudicitiam?*
*Nobilitas magna Amphinomi, Eurymachiq́; nec horũ*
*Ille, nec ille diù ducere promtus erit.*

H *Nempe*

*Nempe aliæ quoquè sunt, quarum sub pectore Pallas,*
*Quarum purpureo vivit in ore Venus.*
*Dulichij, Samyque, & te generosa Zacynthos*
*Coniugij partem vult sibi habere sui.*
*Hi nempe atq; alij toto me tempore poscunt*
*Vxorem, quo tu, lente morator, abes,*
*Cum superis fungos edit, aiunt, divus Vlysses:*
*Non nunc mortales, ast amat ille Deas.*
*Penelopes quondam, nunc dignus amore Dearum est:*
*Niteris, ut placeas ambitiosa Deo.*
*Nube monet genitor: vitio monet ille senectæ:*
*AErumnam graviùs ferre senecta solet.*
*Me videt ille, patremque tuum, videt ille nepotem*
*Telemachum: generum non videt ille suum.*
*Soli onus incumbit magnum mihi; solaq; resto*
*Magnarum mulier vile pedamen opum.*
*Nube, ait ergo pater: verbum ast ubi credula dixi;*
*Qui scis si procul haud fortè maritus abest?*
*Nec perijt, neque fama fuit perijsse; fuisset.*
*Do perijsse tamen: læter id; an doleam?*
*Troiam abeant Veneres. tristabor; honestius hoc est*
*Addecet uxorem funera flere viri.*
*Postquam sic aliquid dixi solata parentem;*
*Verba refert votis commodiora meis.*
*Haud ita; vixque procos studio, arte, labore repello;*
*Vixque citâ telam texo, retexo manu.*

*Nescis,*

*Nescis, sed dicam: Telam in sua fila resolvo,*
*Quæ modò compacto stamine densa fuit.*
*Non est texendi modus hic, iterare quod actum est,*
*Post opus assiduum, quò mihi restet opus.*
*Illa procis mecum constat sententia pacti:*
*Pertextâ telâ protinus uxor ero.*
*Intereà si non redeat mihi carus Vlysses:*
*Dì faciant redeas: sum tua; semper ero.*
*At metuo ne quis fraudem quoquè fraude sequatur:*
*Sit minùs at metuo sedula fessa manus.*
*Et Venus astutum, & deprendet vafra laborem:*
*Actum, Penelope perfida, dicet, agis.*
*Conscia me quamvis iuvat hac in fraude Minerva:*
*Plurimum utrumque suâ numen in arte valet.*
*Auctor ad insidias, duxq; est Cytherea procorum:*
*Penelope hac falli iudice stulta potest.*
*Hoste scit hæc quanta AEneas sit passus Vlysse:*
*Et pueris olim cognita fama volat.*
*Multi, quas magno iustus sudore parâsti,*
*Res carpunt, comedunt, dilapidantque tuas.*
*Nam quid id est? veniunt, ludunt, epulantur amantes*
*Turba superciliјs non abigenda meis.*
*Iracunda licèt, licèt intractabilis obstem,*
*Fædaque dem cupidis nomina vulturibus.*
*Non mittunt, in quod semel incubuère cadaver.*
*Quæso, vocone tuas iure cadaver opes?*

*Quarum pars ego ſum, quarum tu vita, ſaluſque*
*Nec per epiſtolium conveniendus abes?*
*Num, Venus, hoc magnum, pompâ dignumque triumpho,*
*Damna dare abſenti Numina poſſe viro?*
*Ignavis dare iura procis, cruciare puellas?*
*O Venus, ô magni filia nempe Iovis!*
*Certè adeò hanc contra mihi mens nunc ardet Vlyſſe.*
*Num ſua adhuc ſperat Pergama victa Venus?*
*Quæ pius AEneas paribus malè vindicet armis,*
*Roboreo proſit ſi tibi Pallas equo?*
*Alterius tua ne redeat de pectore virtus,*
*Crux eſt Telemachum non perijſſe procis.*
*Hos Venus invito Parcarum numine fruſtra*
*Telemachi intentos iuſſerat eſſe neci.*
*Ergo quidem ſupereſt: Diq́ᵹ, & bona fata favebunt:*
*Maior, & ex ævo denique fortis erit.*
*Qualis in AEgyſtum cùm ſævijt acer Oreſtes*
*Ipſe furens patrij funeris ultor erat.*
*Talis hic inſanos tecum malè perdet amantes:*
*Ex reditu pendet ſpes mihi magna tuo.*
*Heu miſera, heu, quid ſpero? meus non vivit Vlyſſes.*
*Dum loquor, haud præſens, quod male rebar, adeſt.*
*Vivit? cur non huc pridem data epiſtola vênit?*
*Virtus in vinclis illa ſedere poteſt?*
*Tantiſne illa iacet, ne poſſit ſcribere verbum,*
*Illa viri fortis dextera preſſa malis?*

Poſſen

*Possene, cui celsis fama it sublimior astris,*
*Orbis in angustâ parte latere diu?*
*Fama petita Pylo est: ubi sit nescitur Vlysses:*
*Fama redit Spartâ; nescia Sparta tui.*
*Nautarum, quotquot tangunt hæc littora, nullus*
*Vel minimum de te, quod mihi narret, habet.*
*Hæc tibi nescio quo reddetur epistola casu:*
*Reddatur; felix is mihi casus erit.*
*Quandoquidem toto nequicquam quæreris orbe.*
*Nempe exempla meæ multa abière manus.*
*Quæ tua Penelope lento tibi misit Vlysse,*
*Non sunt, non hæc sunt altera missa semel.*
*Sed nihil, heu, nobis, nihil hinc, nihil inde refertur.*
*Quid, nisi cum tabulis te periisse putem?*
*Quis modus ulteriùs, quid agasve, ubi sisve, sciendi?*
*Hei mihi, quòd cari nescia vivo viri?*
*Nam metuo ne quid referat consultus Apollo*
*Triste per ambages, ut solet ille, suas.*
*Sive solo, sive ergo salo iacet ille sepultus,*
*Haud ita clam tantus vir periisse potest.*
*Si periit, procul & nuper periisse putandum est.*
*Hoc est, quod tristi pectore sæpe gemo.*
*Non tanti, non Troia fuit, Priamusq́, Parisque:*
*Nec, quibus indignè est rapta puella modis.*
*Cùm Lacedæmona erat venturus, risit adulter,*
*Et lusit placidis improba classis aquis.*

*Dì, quis tunc ventos, tempestateſque tenebat*
*Carcere, & AEolias vinxerat arte manus?*
*Ardua adhuc ſtarent Phœbeæ mœnia Troiæ,*
*Vnius ob vitium non ruitura viri.*
*Inque ſuâ clemens Ithacâ regnaret Vlyſſes,*
*Rerum, rexque domus iuſtior ipſe ſuæ.*
*Telemachi ingenium patrias ferretur in artes.*
*Maternus puerum non bene format amor.*
*Laërteſque ſenex, qui ſolaretur, haberet;*
*Quâque graves anni rempe leventur, opem.*
*Nunc quibus in terris tardus male pergit Vlyſſes?*
*Aut malè ubì adverſis navigat ille Nothis?*
*Cuì commiſit iter (ſi fas eſt quærere:) Divûm?*
*Quòve eſt fallentes ille ſequutus aves?*
*Ecqua ſeni, puero, viduæ ſolatia reſtant?*
*Ecqua redit miſeris denique læta dies?*
*Cur nec, ùt Argolicis, Ithacenſibus aura ſecunda eſt?*
*Hi quoquè Troianæ pars bona laudis erant.*
*Hìc pater, hìc natus, coniux hìc degit Vlyßis:*
*Hìc ſine eo, malè quas res tueantur, habent.*
*Fortibus, ah, quanti laus, & ſua gloria conſtat!*
*Vincere cùm licuit, non licet eſſe domi.*
*Si tamen hoc magni ſic Dì voluêre, ferendum eſt:*
*Ferre puer, mulier, ſi pote ferre ſenex.*
*Nulla dies gemitu; ſcitque hoc fidißima nutrix,*
*Nulla domi querulis vocibus hora caret.*

*Neſcis,*

*Nescis, crede, tuis redeas quàm gratus, Vlysse.*
*De nobis animum consule, quæsò, tuum.*
*Si qua tuo nostri sub pectore cura remansit;*
*Quod reor: illa fides, quæ data, pondus habet.*
*AEquus in ignotos natum, neque sperne parentem:*
*Exemplis didici non levis esse tuis.*
*Telemachus nuper regis sub imagine Mentæ*
*Nescio cui Divûm conveniendus erat.*
*Audijt hæc: superùm vi cogitur exul Vlysses*
*Esse; nec in patriam Di patiuntur iter.*
*Vivit enim, medioque illum tenet insula ponto,*
*Littoraque immanis regna tremenda viri.*
*At neque non rediturus abest; non, ferrea si vel*
*Vincula detineant: tandem erit ille domi.*
*Versat, & in fraudes animum vafer explicat omnes:*
*Huc aliquâ inveniet callidus arte viam.*
*Si Deus hæc dixit (valeant bona visa) redibis:*
*Spes tamen haud nobis demserit ista metum.*
*Tristia perpetuis timeo tamen omnia curis:*
*Quàm citò te videam, tam citò læta forem.*
*Res sit in eventu: levia, ah, solatia somni:*
*Non desiderium sunt bona visa meum.*
*Forsitan ille nigrâ genius de sede sinister*
*Venerat, ut miseris nil nisi verba daret.*
*Sic, cum nocte iacens tenui premor ægra quiete,*
*Te lateri iungunt somnia sæpe meo.*

*Osculor,*

*Osculor & caros videor mihi tenere vultus.*
*Evigilo: nec tu, nec levis umbra tui est.*
*Quin semel ergo redis; iampridem sæpe redisti:*
*Nec spes perficiunt somnia vana meas.*
*Perficerent certè, si cum rediisset Vlysses,*
*Porrò ævum præsens duceret ille domi.*
*Gratius at longè foret hoc, si luce rediret,*
*Luce quidem, ac medio, sed sine nube, die.*
*Corrupere oculos lachrymæ: improvisus Vlysses*
*Adstet; ego dubitem vir sit, an umbra viri.*
*Deinde eadem haud redeuntis erit, quæ abeuntis imago:*
*Sitque eadem; immemor haud credar ego ipsa mihi.*
*Hoc quoquè me fallet; de me dubitabit Vlysses;*
*Nec de Telemacho est certa futura fides.*
*Nunc fugienda viro cur sint puerilia sentit;*
*Vos nihili, dixit, turba valete nuces.*
*Ille suis sensim meliùs firmabitur annis:*
*Ast ego Penelope vestra venusta fui.*
*Nempe animosa minùs delumbi cedo senectæ:*
*Pectore, & e vultu flos iuvenilis abest.*
*Quò non, quæsò, rapit iuvenes vesana cupido?*
*Hanc faciem multos miror amare viros.*
*At puto me viso iuvenescere posse marito:*
*Tantus adhuc tenero in pectore vivit amor.*
*Ferre alias potui Divûm patientiùs iras,*
*Et potui tristis non mala verba loqui.*

*Scribere*

*Scribere plura volo: sed ne tua denique non sim,*
*Tela resolvenda est in sua fila mihi.*
*Qui labor ut ne æquo videatur longior æquo,*
*Vtque procis pereant irrita pacta, veni.*

## ELEG. VII.

*IS qui cuncta suo Sol solus nomine dignus*
*Lustrat, & æthereo fundit ab axe diem.*
*Obtutus rectos, contrariaque ora refutat;*
*Et facit ut videat, qui nimis, ille nihil.*
*Sic tamen haud minuit, sed adauget mentis acumen:*
*Plus etenim cæcis mentis inesse solet.*
*Illa, tibi quæ, Lause, dea est; mihi bella puella;*
*Quamvis nec nimiùm bella puella mihi.*
*Non nocet Acca tuis rectùm spectantis ocellis;*
*Ima sed inductâ in pectora nocte nocet.*
*Quòque magè obtundit lippæ tibi mentis acumen,*
*Hoc oculis magè dat vimq́; aciemque tuis.*
*Plusque vides pulchros aquilino lumine vultus,*
*Frontem, oculos, nasum, menta, labella, genas.*
*Tuque vides Accam, cùm non vult, Lause, videri;*
*Quin etiam cùm se nec satis ipsa videt.*
*Intima sic celer, indomitum, mirabile fulmen*
*Vase incorrupto perdere vina solet.*

## ELEG. VIII.

*Sæpius a me ſum mihi, Dobbia, viſus abeſſe.*
*Obſecro; tune ſoles ſemper adeſſe tibi?*
*Semper? & eveniunt ſolis tam mira poetis?*
*Sæpius a me ſum viſus abeſſe mihi.*
*Dic; rogo: ſi, formoſa, domi, aut ubicunque fuiſti;*
*In pratis; alibi: Dobbia, fare; rogo.*
*Occurrine uſquam tibi, & aſtiti; &, o pia, dixi,*
*Ne mihi baſiolum, ne mihi, quæsò, nega?*
*Mene domi vidiſti? illic ſoleo eſſe libenter:*
*Non inquam noſtræ; ſed, mihi crede, tuæ.*
*Aſſedine tibi tacita intra clauſtra ſedenti,*
*Tractares tenuem dum vigilanter acum?*
*Aut cùm nil ageres? aut cùm ſcanſura cubile*
*Efferres niveum nixa puella pedem?*
*Aut cùm neſcio quæ noctu ſimulachra videres,*
*Non ego tunc aliquâ in parte cubilis eram?*
*Non ego tunc dixi, ſalve mea Dobbia, ſalve;*
*Atraque nox animi, luxque ſerena mei?*
*Dura quidem verbis, ſed molli pectore ſalve?*
*Salve, & ſi dormis, ſurda puella, vale?*
*Si neſcis, ego te, pulchellula, blandus habebam*
*Nuper, nec te tum credo fuiſſe domi.*
*Ipſa licèt dicas, non ſum ſtudioſa virorum;*
*Non ſoleo iuvenes caſta virago ſequi.*

*Præſentem*

*Præſentem præſens novi te, Dobbia, novi:*
*Quin, cùm nec video, Dobbia, te video.*
*Frontis ebur purum placuit, miniumque genarum;*
*Et, tua qui tingit bina labella, color.*
*Riſiſti, accurri, rapui oſcula, moxque receßi:*
*Scilicet in manibus iam tibi bilis erat.*
*O lepidos caſus! dum cedo, & verbera vito,*
*Retrogradum evertit gleba refoſſa pedem.*
*Lapſus ego: iniecit quoquè te tuus impetus in me:*
*Non malè ſic, fateor, non malè victus eram.*
*Nec tibi, nec mihi erat iamtum peccare voluntas:*
*Ludit, & in Batavo friget amore Venus.*
*Tu nunc ſuccenſes narranti, Dobbia, nugas?*
*Qui nugator amat, Dobbia, verus amat.*
*O quot ego, populo quas nolim oſtendere, nugas*
*Inſanùm lepidas ignibus ipſe dedi!*
*Id quod amatores factum fortaſſe dolerent,*
*Si ſcirent, omnes. ipſe Cupido dolet.*
*Nempe quia eſt factus, quod erat, calor, ardor, & ignis:*
*Sed doleat; doleam dummòdò non & ego.*
*Fama bonum, quo non aliud præclarius ullum:*
*Huius habenda viro maxima cura fuit.*
*Nolo vel attingat levis has infamia chartas;*
*Hoc volo, moroſas ne Venus eſſe putet.*
*Nemo ſuis libris melior mihi; vilia quiſquis*
*Verba notat chartis, vile cor intus habet.*

# ELEG. IX.

*EXimius tegitur saxo Cornelius isto*
*Musius: ob Musas haud moriturus erat.*
*Pollicitus fuerat Musarum rector Apollo;*
*Musius æternùm vivet, eritque meus.*
*Audierant Parcæ, Parcæ, quod Apollo, volebant:*
*Mors quoquè, mors non sim si moriatur, ait.*
*Protinus invidia, atq; avidum scelus omne nocendi*
*In pugnam vires expediêre suas.*
*Quæ nunc Musarũ domus, & sacra Apollinis aula es,*
*Posse tibi scelus hoc, Leida, placere nego.*
*Ipse furor morti falcem eripuisset acutam,*
*Alas movisset ni celer illa suas.*
*Et rabies Phœbum lacerâsset, ut Orphea Bacchæ,*
*Cantâsset salvâ ni Deus ipse lyrâ.*
*Carnificinæ aliæ Parcas stuprare parabant;*
*Præcipites aliæ perdere Pierides.*
*Castalios aliæ latices vitiare veneno,*
*Vt foret absque gravi nemo poëta malo.*
*Cùm subitò intonuit magnâ Inclementia voce;*
*Perdite, cùi parci Parca remissa iubet.*
*In te mox unum, Musi, confusa ruit vis*
*Dira; nec ut pereas, sed cruciêre diù.*
*Turbaque dilapsas videatur ut ulta Camænas,*
*Discrimen sexus præsecuêre tui.*

*Perpessus*

*Perpessus varios (Rhamnusia disce) dolores*
*Non poteras, Musi, non poterasque mori.*
*Ter te mors adijt, ter te miseranda reliquit,*
*Promisso dicens torqueor ipsa meo.*
*Ter rumpenda tibi reparârunt stamina Parcæ:*
*Ter cecinit miserâ tristis Apollo lyrâ.*
*Tandem Musa tibi, Musi, moriaris oportet;*
*Fato immortalis sis magè, saxo, tuo.*
*Tum pius æthereas petijt citò spiritus arces:*
*Nil dolet in multis corpus inane malis.*
*Nil dolet; ac vultu sex verba referre videtur:*
*Sic pereat doctis vis inimica viris.*
*Quòque magis pœnas fallat, mutatur in umbram:*
*Hìc iacet, & corpus nemo fuisse putet.*

## ELEG. X.

*IMus, &, heu, flemus te; non te, maxime Lipsi:*
*Astra piam mentem, terra cadaver habet.*
*Non nos te flemus; tibi namque bene, atque beatè est:*
*Hoc flemus; Musis te moriente male est.*
*Aut si te flemus, dolor est; sapientia non est:*
*Funus at ob magnum desipere est sapere.*
*Nobilis interitum quis non deploret amici,*
*Ceu dolor in vitam vertere fata queat?*
*Vertere si nequeat, tamen optet vertere posse.*
*O modici vitam temporis, atque brevem!*

*Vita, ô, vita redi : brevis, ah, brevis antè fuisti :*
*Debebas vero longior esse viro.*
*Nec fuit ille senex, neque cano insignis honesto :*
*Ter tribus haud annis addita lustra decem.*
*Agnovitque sui mensuram Lipsius ævi :*
*Sat tamen, atque diù vixerat ipse sibi.*
*O Lipsi, cur nec visum sperare senectam?*
*Noluit hanc votis Diva negare tuis.*
*Quin utinam cupias ad vivos, Iuste, reverti!*
*Nam tua te nobis reddere Diva potest.*
*Diva potest; Divam didici, te, posse, magistro.*
*Reddat! apud Superos sed tibi, Iuste, bene est.*
*Sit bene, sitque precor : tua te, bone, Diva beato :*
*Diva tuis etiam digna voluminibus.*
*Scripsisti Hallensem, scripsisti Sichemiensem :*
*Sannio quin vulnus turpe reiectus habet.*
*Sed tu, Iuste, iaces; non tu, sed inane cadaver.*
*O quàm facundi pars fuit illa viri!*
*Ah, non perstabit quisquam te, Iuste, iacente.*
*Quid dolor? haud iacet hìc Lipsius: ossa iacent.*
*Heu, quàm difficile est mortem perferre bonorum!*
*Et gemit, & tibi scit Plempius esse bene.*
*Scit, Lipsi; & tamẽ, heu, quasi sit male, collachrimatur*
*Verùm nonne fuit res quoquè dura mori?*
*Dura fuit sanè : sed lanâ facta ferendo*
*Mollior, atque tuâ, quæ modò sacra, togâ.*

*Mor*

*Mors fuit ipſa levis : levior ſit terra tegendis*
*Oſſibus, & pax ſit manibus alta pijs.*
*Lipſius intereà cum Belgis Belga legatur*
*Cauſsâ Miræo ſcriptus amicitiæ.*

## ELEG. XI.

*PLempïus uxorem ducit ; mirantur amici :*
*Non quia ſive puer, ſive ſit ille ſenex.*
*Sed quaſi vota ſuis laudet contraria votis,*
*Ipſeque diſsimilis gaudeat eſſe ſibi.*
*Noluit eſſe pater modò, noluit eſſe maritus :*
*Nunc placet, eccè, palam nomen utrumque viro.*
*Vnicula ardetur : furor eſt ; reſpondeo, luſi :*
*Is tamen in ſeſe ſeria ludus habet.*
*Summa quidem uxorem ſapientia ducere non eſt,*
*Eſſe licèt ſummam tempora noſtra volunt.*
*Tempora membroſum nimis admirata Luterum :*
*Tempora famoſis nobilitanda iocis.*
*Me fortuna mei generis pendebat ab uno :*
*Spes ego Plempiacæ maſcula gentis eram.*
*Conditio placuit, quia res mea ſic erat, & vir*
*Grandævo poteram gratior eſſe patri.*
*Diſſociabat huic natorum dulce ſuorum*
*Par patre relligio carior, & patriâ.*
*Me quoquè cura fuit, ne diſſociaret : ob illud*
*Reſtringi partes ſum ratus eſſe meas.*

*Meque*

*Meque dedi vinclis, quibus haud exolvat Apollo,*
*Ipsaque nec vatem virgo Thalia suum.*
*Est que nurus, qualem pater exigat; illaque mecum*
*Romanâ Divos relligione colit.*
*Forma, valetudo, modus est quoquè corporis idem:*
*Idem est in binis alter, & alter amor.*
*Particulis summam dos, ac donatio in unam*
*Conveniunt paribus: lis ibi nulla latet.*
*Sex mihi sunt supra; triginta coniugis anni:*
*Nec nos hoc blandus tempore fallit amor.*
*Nulla fuit generi vicinia, proxima cunis;*
*Vixque pedes inter credo fuisse decem.*
*Sique ego sum matris, patris uxor humanda sepulchro*
*Cum decimo iungent nos quoquè fata pede.*
*Nomen idem est avijs: vigil alter ocellus utrique,*
*Iure senectutis noctuus alter erat.*
*Tertia sum fratrum, pars tertia nupta sororum;*
*Ritè pudicitiam turba quaterna colit.*
*Coniugis, atque meos pannaria lusra parentes*
*Ornavêre fori nobilitate sui.*
*Plura supersedeo quoquè non diversa referre:*
*Diversus sexus convenit ipse mihi.*
*Vsus eo dulces patri dabo nempe nepotes,*
*Hac spe qui thalamo me viduatus amat.*
*Hac spe legitimam qui dixit habeto puellam:*
*Obsequor, ac pueris mens erit ista meis.*

*Men*

*Mens pueris erit iſta meis, obedire parenti:*
*Quique meum colui, mox colar ipſe, patrem.*
*Ipſa etiam geßit pia morem uxorcula matri;*
*Matri, qui generum diliget æqua ſuum.*
*Vxor ducatur benene, an male ego eſſe perinde*
*Non puto: ſunt iuſtis ſemina iuſta toris.*
*A Superis aliquid venit in benefacta ſecundis:*
*Sæpe bonos pueros, quæ bene nupſit, habet.*

## ELEG. XII.

*EStne meus, quæsò, puer hic belliſsimus, eſt ne?*
*Eſt meus, eſt ſanè filius, eccè, meus.*
*Suntque meis oculi ſimiles, mea frontis imago eſt;*
*Talis ego quoquè, cùm naſcerer, ipſe fui.*
*Ipſe fui talis; memini mihi dicere matrem:*
*Sat bene filiolum viderat illa ſuum.*
*Et genitor talem me nunc ait ipſe fuiſſe;*
*Sitque puer dubitat filius, anne nepos.*
*Vxor item noſtro puerum de pondere natum*
*Dicit, amatque bonam relligioſa fidem.*
*Fallere nec didicit. iuſtiſque parentibus orta*
*Mentiri magnum iudicat eſſe nefas.*
*Credo; meus puer eſt; credit pater eſſe nepotem:*
*Vixque latent tacito gaudia noſtra ſinu.*
*Luce tuâ natus mediâ eſt, Aquiline; faveto:*
*Præſidio felix ſit precor ille tuo.*

*Quique bonus genius iam puro ex æthere præstò est,*
*Pervigil is fratrem curet, ametque suum.*
*Baptizatus habet nomen; quæ prima parenti*
*Vota ministerio sunt mihi salva Petri.*
*Petri, qui nostrâ veteranus in urbe sacerdos*
*Officium furtim, nec sine laude facit.*
*Qui quoquè, cùm ruerent hostes, portamque teneret*
*Vis Harlemensem Martia, fortis erat.*
*Sed puero dedimus glaciali nomen ab igne:*
*Vir socer hoc pridem nomine iustus erat.*
*A ferro, & flammâ nisi malim credere dictum,*
*Vel galeâ: galeam Iunius auctor amat.*
*Iunius, auctorem quem clara Batavia laudat,*
*Verbaque scit solitum Roma Latina loqui.*
*Quicquid id est, hominem nemo mihi nomine pendat:*
*Sæpe fuit plenis nomen inane viris.*
*Sit puer, ô, bonus, ac Iesum vocitare tenellus*
*Discat, &, ô, Mariam, quam quoquè Iesus, amet.*
*Rideat; ac delectet avum, sæpe oscula poscat:*
*Mater ei præ me cara sit ipsa licet.*
*Ante egò, quàm patrē, matrem magè amanter amavi:*
*Et magè filiolum mater amare solet.*
*Liber ut a culpis puerili ludat in ævo,*
*Nec virgam natibus sentiat, opto, suis.*
*A puero in mores paullatim adolescat honestos,*
*Roboris & quiddam credat inesse sibi.*

*Nullaque*

*Nullaque iussa patris (sunt apta futura) pavescat:*
*Et sit, quam monstrem, fortis inire viam.*
*Perveniat tandem vir ubi bene stet pede fixo,*
*Fortunamque suâ temperet arte sibi.*
*Sic bene læta procul ducat per tempora vitam;*
*Corpore dum terram, sidera mente petat.*

## ELEG. XIII.

*MAter, avus, genitor puerum lugemus ademtum,*
*Vix cui viginti vita fuère dies.*
*Vita, diesque fuère. ah, cur mortalibus annus*
*Sex bis habens menses dicitur esse brevis?*
*Noster vixisset si totum infantulus annum,*
*Pæne putaretur mortuus esse senex.*
*Hausta per id spatium satiâssent oscula matrem;*
*Gustâsset longi nectar amoris avus.*
*Atque ego me patrem sensissem aliquando fuisse,*
*Plusque puer pueri quàm levis umbra foret.*
*Stare nec in vernis videatur floribus ætas,*
*Tardave longævus fata subire culex.*
*Ergo repentè quid est enixa puerpera? fungum,*
*Quem parit, extollit, funerat una dies.*
*Vigintine dies spatium sunt longius unâ?*
*Sæcula multa unum lapsa vocantur heri.*
*Nascimur, & fato mox fungi fungimur omnes.*
*Qui tantùm vixit, vixit & ille diù.*

*Luget avus nimium, nimium matercula luges:*
*Certa puer potius, quam cita fata tulit.*
*Et moriturus erat mox, mox, nisi mortuus esset:*
*Quin & dum vixit, mortuus ille fuit.*
*Mors est vita quidem, quamvis haud pallida mors est:*
*Qui superesse cupit, vivus obire cupit.*
*Fabulor. ô, vivit puer, ac super æthera purus*
*Evolat: alta mei spes fuit ista tori.*
*Nil moror hæredes; teneat meus æthera sanguis:*
*Sat pater est, cuius filius astra colit.*
*Illic innocuo vitam delibat ab Agno;*
*Vitam, quam nequeunt fata relicta sequi.*
*O veram vitam! periit mortalis imago:*
*Felix, quem sic mors nil remorata rapit.*
*Humanis nitidus procul est a fæcibus infans,*
*A que malo nullum tempore crimen habet.*
*Non fuit astutus, fraudum neque nomina novit:*
*Talem si videam, sit mihi dulce mori.*
*O bona simplicitas, quam nec morosa libido*
*Attigit! ô rigidâ mens sine avaritiâ!*
*Spiritus ô fastu nunquam corruptus inani!*
*O patre iam cæli plenus in arce Deo!*
*Nulla tibi in terris vis exantlanda malorum:*
*Vt teneas divus sidera natus eras.*
*Relligione fides ea stat certissima, postquam*
*Gutta tibi lavit mystica ritè caput.*

*Sacros, ah, Batavi si non contemnimus usus;*
*Baptismus si nunc est, quod & antè fuit.*
*Non sunt lugendi lacrimis, sed honore puelli:*
*Est honor, haud albo funus habere loco.*
*Formare exequias decet, ac sentire dolorem:*
*Quin summum fractâ dicere voce vale.*
*Vivere prætereà, Superosque lacessere votis,*
*Vt faveant inopi, subveniantque toro.*

## ELEG. XIV.

### Ad Cornelium Dunium.

TV, *qui stare loco, suaq; in vada abire iubebas,*
*Reddens armentis prata, potenter aquas.*
*Hoc quibus ingenijs, & quo sudore virorum,*
*Moleque quâ fieret; quotque, quibusque modis.*
*Quo quoquè multarum pretio, sed & ordine rerum,*
*Narrâsti pleno sæpius ore mihi.*
*Sermoque longus erat: sed quem tamen auribus & nũc*
*Sum memor ingratum non sonuisse meis,*
*Sum memor, & libris volui constare legendum;*
*Vt ne præda vagis esset opima Nothis.*
*Scripsisti monitus, tuaq; est ea gloria, quòd nec*
*Paucula de multis verba perisse putem.*
*Iustum amplector opus: nihil est lectoribus unquam*
*Tale datum, & famæ res erit illa novæ.*

*Adde quòd & nostris res proderit apta Batavis:*
*His sua pæne perit terra palustris aquis.*
*Quæ natalis erat, properat magis esse natalis:*
*Fitque brevis, modò quæ syllaba longa fuit.*
*Non malè sudârunt, quibus est nunc terra Bemester:*
*Sic illum nemo nominet inter aquas.*
*Aspera sic illum nec hyems crustâ induet albâ;*
*Quæ via, sed via non (sat scio) firma fuit.*
*Cùm raperet rhedam me fortè sedente caballus,*
*Et quasi per nudas Pegasus iret aquas.*
*Nulla rates illic mergat vis improba Cauri,*
*Obruat aut motu rustica vela suo.*
*Gramina proveniant pecori, & pascentibus herbæ*
*Vbera quæ vaccis lacte replere solent.*
*Caseus ex illis grato beet ordine nostrum,*
*Atque Bemestrensi nobilitate forum.*
*Si quoquè id in fatis esset, fieri vel agendo*
*Posset, ut hic lucri spes manifesta foret.*
*Quemque lacum Harlemum simul, & quem doctula*
*Vendicat, attolli in pascua læta velim. (Leida*
*Quemque sinum, incubat quòd ei, mare nuncupat Au-*
*Non doleam si sit iam nemus ille sacrum. (ster,*
*Nempe fuit: firmam Rheni petulantia sylvam*
*Perdidit, invectis, quæ moveantur, aquis.*
*Iam Rhenus lato, & longo procul æquore regnat*
*Strennuus Oceano cedere nolle patri.*

Fudit,

*Fudit, & undoſo demerſit gurgite Marſos,*
*A quibus antiquum Marcia nomen habet.*
*Tertia nimirum duodevigeſima facta eſt*
*Littera, & utramvis uda mariſca tenent.*
*Ipſa mariſca ſonant Batavorum voce paludem:*
*Si res me fallit, fallit aperta nimis.*
*Non ſecus atque hominũ, quanquam ſpecies quoquè re-*
*Sæpe minus veri, quàm videantur, habent. (rum*
*Naviget Anticyras, qui ferri fluctibus optat,*
*Naviget, ac ventos gaudeat eſſe ſuos.*
*Me mea terra ferat, ſimul & veſtigia ſervet.*
*Qui fugiunt, metuunt ſigna ſecuta pedum.*
*Crede mihi, fugere eſt per aquas diſcedere, tritum*
*Cùm bene per terram ſemita monſtret iter.*
*Sed neque ſumma mari bellando vincere virtus:*
*In terrâ fortes Mars amat ipſe viros.*
*Terra virûm patria eſt; terræ debemus amorem:*
*Nos quoquè filiolos hæc pia mater amat.*
*Et populo felix alimenta miniſtrat hianti*
*Dulcia: ſervat opes nec ſibi terra ſuas.*
*Relligioque refert homines de ceſpite natos:*
*Ceſpitis illius nobile nomen Adam.*
*Vnda novercales ſemper mala ſurgit in iras,*
*Et tempeſtates nutrit iniqua ſuas.*
*Ni Deus, & ſolidi reſtet vis maxima fati,*
*Tota ſub infuſas terra periret aquas.*

Fæda

*Fœda ſtrages, nimiùmque foret miſeranda bonarum.*
*Heu, facies rerum : res mala magna mare eſt.*
*Nulla adeò eſt vitium naturæ femina ; nullus*
*Ignis habet vires ad nocumenta pares.*
*Littus abarcet aquas ; littus mihi magna voluptas :*
*Littore ego conchas ſæpe, libenſque lego.*
*Teq; amo, mi Duni ; tu rem formator in artem*
*Vertis, & excludi quì queat unda doces.*
*Tu mihi littus eris, te certus ut aggere nitar:*
*Vnda modum agnoſcet te minuente ſuum.*
*Sic bene nomen habes, quod habes : ſic noſtra valere*
*Te, Duni, atque diu vivere Muſa iubet.*

## E L E G. XV.

### Ad Martinum Coddium medicum.

Q*Viſquilias a me ſcribi mirabere, Coddi,*
*Ingenij quaſi ſit ſeria Muſa mei?*
*Atque quaſi nugas meus averſetur Apollo?*
*Credo : nec ingenij Muſa iocoſa mei eſt.*
*Et nugas equidem meus averſatur Apollo,*
*Coddi ; ſi tamen eſt ullus Apollo meus.*
*Verùm etenim verò quæ ſcribere ſeria vellem*
*Carmina, vix Batavis auribus apta forent.*
*Multa vetant etiam cum riſu dicere verum ;*
*Nox igitur Satyris incubet atra meis.*

*Has aliquâ quartâ malim protrudere Lunâ,*
*Quàm nunc, quæ vitium tempora maius habent.*
*Tempora ſunt duris non hæc ſatis æqua papyris:*
*Pulvillos cubitis ſubſue, gratus eris.*
*Verbula muſſavit tantùm duo ſector, & uſtor,*
*Moxque malum genium ſenſit adeſſe ſuum.*
*Mox Diodorus erat, qui litem intenderet, exlex,*
*Garrulus, indoctus verba Latina loqui.*
*Lipſius, ah, tamen, ah, nimis anxius exul abibat:*
*Nulla daturus ei damna Batavus erat.*
*Sit quoquè, quam laudo, de relligione voluptas*
*Scribere: ſed, Coddi, malo tacere domi.*
*Cur etenim fratres Batavos, patriamque laceſſem?*
*Turbatis ferat hìc quis mihi rebus opem?*
*Et ſua debetur Patribus reverentia magnis,*
*Queis Deus & faſces, & decus ipſe dedit.*
*Nec iam privatos patitur pellacia motus*
*Publica: vi blandi fœderis arma ſilent.*
*Inter nos verbis cur digladiemur ut hoſtes?*
*Cur non ſit linguis, quando quies manibus?*
*Ceſſant audaces; non ceſſent ergo loquaces?*
*Non niſi vult tacitâ pax properare viâ.*
*Credo quidem fas eſſe loqui; ſed relligionis*
*Mentio nunc ſpeciem garrulitatis habet.*
*Spectat ad auctores communis fabula multos:*
*Omnes facundi, cùm fuit unus, erunt.*

*Tertia Musa foret Batavo commissus Iberus,*
*Ornavit Martem qualis uterque suum.*
*Qualis uterque suum turpavit crimine Martem:*
*Nam ne iusta quidem crimine bella carent.*
*Sed fera temporibus sunt arma canenda quietis,*
*Duro bellorum tempore pax, & amor.*
*Turpia vult, Coddi, præsentia nemo videri*
*Sæcula: dic olim nigra fuisse; licet.*
*Ambulat & procul haud pax ante pericula belli,*
*Quæ nondum certâ conditione sedet.*
*Quisquilias autem liceat, precor, edere viles:*
*Sordibus hoc ævum, quisquilijsque favet.*
*Aspice cum quanto pueri nugentur honore;*
*Ex lusu laudum præmia quanta ferant.*
*Maior quàm mentis, nunc est facundia linguæ:*
*Esse ego, si liceat, corde disertus amem.*

## ELEG XVI.

### Ad Erycium Puteanum,

*TOta mihi nuper sapuit Promulsis, Eryci;*
*Vnum (quod tollas) præter epistolium.*
*Illud acetosum est utcunque. sed obsecrò: quo tu*
*Iam velo tectum me, vir amice, putas?*
*Quemve tuum errorem (nam nescio) scommate punxi?*
*Quidve, quòd accuses me quoquè censor, habes?*

*Na*

*Non modò scripta malè est, sed & est malè epistola*
*Accepi nunquam: res mala iure perit. (missa:*
*Atq; utinam mihi ne vel serò legenda fuisset?*
*Nec Servatori nunc litet illa suo!*
*Nil respondissem, neque rescribenda fuissent*
*Hæc tibi, quæ cupio paucula verba legi.*
*Non est, cur velo dicar latitare sub ullo:*
*Os, oculi, nasus, frons sat honesta mihi est.*
*Tuque quod inspicias, pectus, Puteane, Batavum est:*
*Si nescis quis sim, lumine luscus eges.*
*Esse probus cupio magè, quàm, Puteane, videri:*
*Virtus, virtutis non toga falsa, placet.*
*Sperno ego amicitiæ tectam sub imagine rixam:*
*Sperno bonos mores, quos mala corda regunt.*
*Ingenuum si tu me non speciosus amâsti,*
*Ingenuum porrò non speciosus ama.*
*Illud, quod scribis, non est de scommate verum:*
*Errorem solitus non ego pungo tuum.*
*Visne, tibi visus cur sim te pungere, dicam?*
*Scribere fabellas tu studiosus eras.*
*Inque subornatam personas ducere scenam:*
*Cantor ego, rogitas, ne graver esse tuus.*
*Annuo, & infames cantores musso fuisse*
*Olim: operam fore nunc non sine laude meam.*
*Hoc stomachum tibi clam dictum, Puteane, movebat:*
*Non eris (ut famæ sit bene) cantor ais.*

*Ast ego quid? silui. porrò, debetne vocari*
*Scomma, operam fore nunc non sine laude meam?*
*Ob quod apud populum traducat amicus amicum,*
*Ac ignominiam concitet ipse sibi?*
*Prætereà est aliud. Peregre, & procul ire parabas,*
*Cùm tibi visendus Plempius antè foret.*
*Hospes eras gratus. quid tandem? ostenditur album,*
*Scriptaque doctorum nomina clara virum.*
*Tuque meum his addi nomen quoquè nempe volebas:*
*Est, fateor, nihili res ea visa mihi.*
*Non igitur scripsi: sed, scribam denique, dixi;*
*Cùm vir ego doctus, virq; ego clarus ero.*
*Illud id est autem, quo te, puto, scommate punxi.*
*Deliciasne loquar vis, Puteane, tibi?*
*Nunc ad censuram venio. quid quæsò? tuumne*
*Me quoquè in exemplum vivere posse neges?*
*Quid tu magnarum geris ergo, quid, o bone, rerum?*
*Me non ad magnas utpote ducis opes.*
*Conditione tuâ melior mea fortè. sed audi:*
*Non ideò turpem sector avaritiam.*
*Posteritasne tibi scriptori, ac fama favebit?*
*Malo mihi faveat post mea fata Deus.*
*Quantula res fama est? obscurum sæpe sequuntur*
*Ingeniis claris nobiliora locum.*
*Tu tamen, ô, scriptis notissimus esto libellis:*
*Offendor claris non ego nominibus.*

*Accessura*

*Accessura tuis soror est sapientia Musis.*
*Num verò sapere & me mea Musa docet?*
*Edita cur autem non est ea epistola, quâ me*
*Partem animæ vocitas, dimidiumque tuæ?*
*Si mea te quædam tamen imprudentia læsit,*
*Indulge, & culpam neglige, quæsò, levem.*
*Si qua tua est in me, quæ nulla est, noxa, remitto:*
*Et cupio posthac ampliùs esse tuus.*

## ELEG. XVII.

### Ad Eundem.

*ILlud amicitiæ veteris durabile pondus,*
*Sub quo mansuram fiximus antè fidem:*
*Cur non verba, precor, mitti facit, atque remitti,*
*Quæq; nigris scateat candida charta notis?*
*A te cur tam rara venit mihi littera, & a me*
*Cur tam rara venit nunc, Puteane, tibi?*
*Quod te, meque tenet cacoëthes, quæso, tacendi?*
*Cur non, qui fuimus tuque, & ego antè, sumus?*
*Quid velatet litis? quæ nos discordia solvit*
*Non bona? libertas hæc tua, an ipsa mea est?*
*Error an iste meus, tuus an, Puteane, sit error?*
*Nempe simultatem candidus esse negem.*
*Esse negem minimo natam de semine rixam.*
*Ah, quasi non Musæ sit bona Musa soror.*

*Nec potes ingenium tu non meum amare: profectò*
*Nec potis ingenium non ego amare tuum.*
*Doctrinam tu vir, vir ego, admiramur uterque:*
*Fama licèt studijs sit magis apta tuis.*
*Sique quis excutiat, nævum haud impingat in ullum:*
*Mens sine labe tibi, mens sine labe mihi.*
*Vivit adhuc pietas, vivetq; in pectore nostro:*
*Pectore dico tuo, pectore dico meo.*
*Teq; Erycina suo bene nomine passa vocari;*
*Est Venus in venis tota Latina tuis.*
*Me quoquè Pimplæum, cùm nascerer, ipsa vocabat*
*Musa; rudis genitrix, Plempius, inquit, erit.*
*Turpia sunt pariter damnanda silentia bellis:*
*Næ nihil ingenuos fœdera muta decent.*
*Nos bona apud claros iunxit Fortuna Petrenses:*
*Quin bona mens iunxit te mihi, meque tibi.*
*Articulosque tuos mea si quid ad organa rexi,*
*Te quoquè discipulum fingo fuisse meum.*
*Nullus Alexander queat hunc decidere nodum:*
*Me quoquè discipulum fingo fuisse tuum.*
*Reddere pro cantu non aspernanda solebas*
*E Sophiæ medio pondera sumpta sinu.*
*Mutua verba decent: ferat hæc referatque papyrus,*
*Quam denigrârit non male docta manus.*
*Littera spectetur, dum non spectatur amicus:*
*Scriptoris specimen littera iusta sui est.*

*Osten-*

*Ostendit, nescit quæ frontem ostendere, mentem:*
*Plus ad amicitiam littera fronte facit.*
*Deserere hanc patriam, Puteane, aliquando paravi,*
*Vt possem doctis semper adesse viris.*
*At me Suada senum, & prudentia sancta tenebat;*
*Hic tibi sic, dicens, dum licet esse, mane.*
*Non Cumis omnes dederat Lucina Sibyllas:*
*Terrarum doctos non amat una viros.*
*Sunt bene Castalides, Heliconiadesque puellæ,*
*Dulcia quæ melicâ carmina voce canunt.*
*Ergo volet nunc huc, nunc littera pervolet illuc;*
*Disiunctis unà sic licet esse viris.*
*Empedocles imo latitat studiosus in AEtnâ*
*Discere quæ tantum caussa det apta focum.*
*Illi ne qua, sino, scribatur epistola; par est:*
*Nam nec amat tepidos igneus ille viros.*
*Ac totus fumo niger est: scribatur ad albos:*
*AEquo animo risus, & ioca salsa ferunt.*

## ELEG. XVIII.

### Ad Eundem.

*OCtavum mensem nihil ad te scribo. quid autem?*
*Sicne tibi videor sat siluisse diù?*
*Nescio. tu nunc his, nunc illis mittis amicis,*
*Doctaq; amicorum verba recepta legis.*

Condis

*Condis, & edendos cumulas, Puteane, libellos;*
*Præque palæstritis fortis es ipse tuis.*
*Ingressusque viam tendentis ad æthera famæ*
*Alter iamdudum Lipsius esse paras.*
*Est que domi, quod agas, pueris cum coniuge habendis*
*Molliter: arceri dura labore solent.*
*Forsan & interdum, tanto iam dignus honore,*
*Consilia attentis das bona Principibus.*
*Ergo dies celeri persentis ire rotatu.*
*Qui nec agit, quod agit, tempora tarda putat.*
*Grata tenet rerum quem sollicitudo bonarum,*
*Is queritur nullas temporis esse moras.*
*Haud siluisse diù puto me, Puteane, putabis:*
*Me sed & ipse diù non siluisse puto.*
*Tranquillis fluitant dulces mihi mensibus anni,*
*Et sors ex omni candida parte nitet.*
*O Deus æternâ mihi relligione colendus!*
*O Deus, ô lætos qui facit ire dies!*
*Quem pater, utque patrem mirè quem mater amavit;*
*Sive Isabella fuit, sive Sibylla fuit.*
*Moreque maiorum par non ignobile fratres*
*Sacra cui mystæ quottidiana ferunt.*
*Otia sunt; non sunt oneri tamen otia nobis,*
*A Musis quanquam pondus habere solent.*
*Quæris quos versus mediter, quæ carmina pangam?*
*Patria non magnum iam mihi surgit opus.*

Et

*Et rudis, & nullo lucens monogramma colore,*
*Totaque rus, ac vix nomine digna ſuo.*
*Illud opus, tibi quod memini me mittere, ab iſto*
*Diſcrepat; iſtud habet, quæ potiora legas.*
*Eſſe bonus civis magè, quàm bonus eſſe poëta*
*Conor; ero tamen haud ſortè poëta malus.*
*Primus ego Latijs patriam qui verſibus orno;*
*Si nec Apollineis, ſed tamen orno meam.*
*Et labor in lucem brevis eſt venturus: ab illâ*
*Patria nec velit hunc ipſa iacere procul.*
*Quiſquilias etiam paucas emittere mens eſt:*
*Nomina verſiculis ſunt ea digna meris.*
*Sunt quoquè Quiſquiliæ tali te, patria, dignæ,*
*Qualem iamdudum te mea Muſa canit.*
*Fortia Quiſquilijs Emblemata mollibus addam:*
*Nempe quot innumerat Curia noſtra patres.*
*Quinquaginta viris ea quinquaginta placebunt:*
*Suadebunt mores lecta relecta bonos.*
*Eccè tuus vates quàm Plempius eſſe minutus*
*Gaudeat. an credis? grandior eſſe poteſt.*

## ELEG. XIX.

*QVem patrem puer, & iuvenis, nec non vir amavi*
*Filius, heu, pater is desijt eſſe mihi.*
*Cuius vita meæ fuit, ô, pars optima vitæ,*
*Defleo defunctum ſemiſepultus ego.*

*Lugeo, suspiro, doleo, lachrimasque profundo:*
*Tristities animo nunc sapit ipsa meo.*
*Nunc mærore nihil mihi dulcius esse videtur:*
*Esseque nunc cupio turtur, ut usque gemam.*
*Non est, non una est homini gaudere voluptas:*
*Est etiam quædam questibus apta dies.*
*Tempora conveniunt studijs non omnia lætis:*
*Cum patre non equidem sit mihi triste mori.*
*Sentio; delirant, qui non mutantur in horas:*
*Mentis plùs horis omnibus aptus habet.*
*Hæc est illa dies, gemitum quæ postulat altum:*
*Vult tamen haud spatio longior esse suo.*
*O pater, ô notos non accessure penates!*
*O pater, ô lecto non cubiture tuo!*
*O pater, ô tenerum non aspecture nepotem!*
*Si non femellam Dobbia fusca gerit.*
*O pater haud lætæ victurus tempore pacis!*
*Ire tibi visi semper ad arma viri.*
*O pater, ô longæ haud fruiture quiete senectæ!*
*Vita tibi studium, cura, laborque fuit.*
*Iam te mulcebat pars urbis amœna sedentem:*
*Commodiùs regem posse sedere negem*
*Fortunis solitum mediocribus esse beatè.*
*Commoda sed sedes, non diuturna fuit.*
*Iam te canities reddebat adulta verendum:*
*Longus honor tamen, ah, non fuit ille tibi.*

*Ipse*

*Ipse graves ego iam gestabam filius annos;*
*Incubuitque humeris nixa senecta meis.*
*Splendebatque domus curâ mundata sororis,*
*Quæ mecum fratres una habet Ava duos.*
*Illud onus gestare diù mihi dulce fuisset:*
*Germanæque nimis visa ea cura brevis.*
*Nullâ lite senex, nullo insanivit amore.*
*Firma valetudo non fuit; apta fuit,*
*Ora subinde dabat modicus ridentia Bacchus:*
*Miraque tum blandæ gaudia pacis erant.*
*Relligio, pietas, mores novitate carebant:*
*Plurima nix cautæ simplicitatis erat.*
*Voce nec est unquam vanâ Deus ipse vocatus:*
*Nescijt os mendax, nescijt esse loquax.*
*Emicuitque bonis animi præstantia verbis;*
*Plenaque non fictæ frons gravitatis erat.*
*Nusquam non probitas laudata: domique, forisque*
*Censeri solitum fortiter omne nefas.*
*Ipse pater natos haud indulgenter amavit:*
*Præstitit at, Musæ queis colerentur, opes.*
*Vocibus hortatus nec non est sæpe Latinis,*
*Discite; doctrinæ Dique, hominesque favent.*
*Vnum cantabatque, recantabatque disertus,*
*Ac nunqnam, nunquam tradere lentus erat:*
*Simplicitate volo cælum speretis avitâ:*
*Moribus haud adsunt pondera sancta novis.*

 O pater,

*O pater, ô dignus longævi Nestoris annis!*
*E vitâ citiùs, qui bene vivit, abit.*
*Scribere me dolor hæc nullo ordine verba coëgit,*
*Qui dolor est animo melque, merumque meo.*
*Qui dolor augetur veteris gravitate doloris.*
*O genitrix nondum tota sepulta iaces!*
*In tabulâ meliùs te nullus pingat Apelles,*
*In memori quàm te pectore pinxit amor.*
*Pinxit amor vultum, sed & ipsam in pectore mentem,*
*Quæ meritò clarâ sidera sede tenet.*
*O mater, mater! neque enim diversa fuisti.*
*Extitit ob mores maior in ore Venus.*
*Est amor immensus Deus: ô tuus intimus ignis!*
*O semper lachrimæ, semper is ipse tuæ!*
*Hunc ignem, has lachrimas non credo fuisse caducas:*
*Hoc igne, his lachrimis urar ego, & madeam!*
*Hunc ignem, has lachrimas in te, pia mater, amavi:*
*Hunc ignem, has lachrimas nunc quoquè totus amo.*
*Iuncta iaces patri mater veneranda: sit unâ*
*Vobiscum sub humo dulce iacere mihi.*

## ELEG. XX.

P*Aucula, quæ fieri Genius volo Bibliothecæ,*
*Negligat is, sibi me qui cupit esse malum.*
*Quisquis vir intras litteras doctus bonas,*
*Tumultuosâ ne move feram manu,*

Nec

*Nec turbulento fac ſolœciſmum pede*
*Muſis moleſtus: Deinde ſi quem repperis*
*Intus ſedentem, dic ſalutem cernuus,*
*Nutuque muto: nec capeſſe fabulas:*
*Heic occupatos alloquuntur mortui.*
*Mox lector acquieſce libro ſedulus,*
*A quo magis ſurgas bonus, quàm doctior,*
*Si ſat ſapis: ſi non; fero; ſis doctior:*
*Doctrina multis digna res eſt laudibus.*
*Neſcit Latinè, quiſquis hèic frangit nuces:*
*Neſcit Latinè, quisquis hèic agit nihil.*
*Mirare vincti cur catenis codices*
*Stent, ceu locis haud ſponte contenti ſuis?*
*Hoc pulcher haud turbandus ordo poſtulat:*
*Simul cavendum maximè eſt, fur ne domum*
*Exportet, aut in auctionem perfidus.*
*Probi videntur ſæpe, qui ſunt improbi.*
*Quem volvis, illum codicem haud corrumpe, neu*
*Graſſare pennâ paginas contaminans*
*Doctas ineptâ, barbarà Latinulas.*
*Addo ſupremum; ſponte fac tute hèic tuâ,*
*Quæ litteratus eſſe grata ſcis mihi.*
*Hæc qui malus non audit, exeſto procul.*

*Hactenus edico facili non multa tabellâ;*
*Neſciri numerus ſæpe ſcienda facit.*

*Deprimitur probitas multarum pondere legum*
*Aucta valent iußis iussa diserta minus.*

## *Ad Lectorem.*

HAbes Quisquilias, Lector; quibus addo iam Nuptias, sive Nugas. Aut has, aut istas a m si censes editas, ut populo notus sim; falle ris. Amicis obsecutus sum, qui voluerunt edi, peri turas, ut ego autumo, measque non futuras. Quā quàm ridiculis, & iucundis miscui, quæ vel moros probent homines, & anxij, lectu fortasse digna: E humanis moribus desipiat sœpe, qui sapiat semper Tu porrò si bonus es, esto quidem semper; ne unius horæ lusum, ætatis puta delirium. Vive.

# PETRI CORNELII HOOFDII

*Mudenorum Toparchæ*

Cum

CHRISTINA SVA

# NVPTIAE

*ET caput, & cerebrũ cui ſũt, Mudena poteſtas*
*Rectorẽ quem nũc veteris cognominat aulæ:*
*Cuius & Amſtelijs beneſit patre conſule: quo*
*Vate, Thalia, dea es, cæloq; adſcriberis alto:* (tu
*Ille vir uxorem ducit mihi ſtirpe propinquam.*
*Atq; ait, ô Plempi, noſtro tua carmina pridem*
*Debentur thalamo: ſcio, nec promiſſa refello;*
*Quin præſtare volo: at matris me fata morantur,*
*Pullaque rellígio: tum ſollicitudine pectus*
*Moroſâ ſtupet inſolitùm mihi: carmina deſunt.*
*Ire, redire, nec eſſe ſuus, ſperare, timere,*
*Omnia, nilq; agere, ac tepido palleſcere vultu,*
*Vulnus habere animo, & fixas ſub pectore flammas,*
*Merx eſt, quâ vendit Venus, heu quàm lenta, puellas.*

*Triſte*

*Triste forum; multos videas ditescere, multos*
*Cedere, & ambiguo multos contendere quæstu:*
*Exerceri alios prolixâ lite; priusquam*
*Fit Fortuna Venus: sunt multa negotia amoris:*
*Nunc ego amâro tamen potiùs, quàm fecero versus;*
*Tam mihi planè inimicus obest, tam durus Apollo.*
*Sola quidem poßit mihi venam aperire Thalia;*
*Vtque fluant, nullo sit opus, puto, carmina, Phœbo:*
*Qualiter at (nequeo exemplis melioribus uti)*
*Insanire, manum promptam gestare, fidemque,*
*Cuncta putare deæ Veneris, quæ bella videntur,*
*Arripere, in magnum collabi extemporè amorem,*
*Ducere, inire torum, rem factam prorsus habere,*
*Prorsùs & infectam, facinus proclive iuventæ est:*
*Sic quosvis temere versus censere beatos,*
*Atque sacro dignos thalamo; non ardua res est*
*Isti, qui sine Apolline amat, laudatque Thaliam.*
*Ardua res hæc est, prudenter amare, potiri*
*Coniuge, mente satis, quæ corpore, & ære beata est*
*Dotali satis. heu non talem carmine iusto*
*Nunc ego concelebrem. Porrò felicior es me*
*Tu, Petre, qui ducis, qui blandulus, es mea dicis;*
*Dicis, & ignescis, neque vanã amplecteris umbram.*
*Integer, ac sincerus amas. ô nobile pectus,*
*O caput, o multâ memorandum mente cerebrum!*
*Vos ego, vos novi, quæ nunc divina voluptas*

*Mulcet*

*Mulcet, & ex alto bona quæ Venus æthere pascit*
*Nectare & ambrosiâ, atque mero perfundit honesto.*
*Eximiè cultis vir moribus, oreq; præstans,*
*Ordineq;, atque domi rebus ratione regendis;*
*O male discordem, tua quæ fugit esse, puellam!*
*O bene concordem, quæ sit tua sola, puellam!*
*Illud ego lætor, quòd me tibi sanguine iungat,*
*Vt, si tu fias formâ laudanda puella,*
*Non mihi, sed fias alijs magis ordine quinto.*
*Sic tua, Petre, soror mihi sanguine iuncta mariti est:*
*Atq; ego tam pronæ delector pondere sortis;*
*Seu fit id impellente Deo, quo congrua nobis*
*Crescat amicitia, & communis gratia Musæ.*
*Fit: tua læta meis respondent sidera fatis,*
*Magnaque de nobis, video, concordia cæli est.*
*Nescio quid mihi nunc utinam contingat amanti!*
*Dignus amore vir es: tua te quoquè diligit altum.*
*Musica cùm pars sit studiorum magna meorum,*
*Quid quòd & Euterpe quædam tibi ducitur uxor?*
*Hanc bene perfecit multâ Suelingius arte*
*Noster, & ingenti famâ iam notus Olympo.*
*Sed malè ego hæc: Christina venit comitata puellis:*
*Prima trahit pompam, una solo defigit ocellos,*
*Et graditur lento ponens vestigia passu,*
*Opplet iter populus, turbatq; ignobile vulgus:*
*Lictor adest, discedite, ait, discedite rursum,*

*Et vaginato tardantes dißipat ense.*
*Fit via, procedunt pariter longo ordine matres:*
*Exi, Petre, foras, pueris clamantibus, exi,*
*Bruta venit: dignum generosâ virgine nomen:*
*Tecum ea Tarquinios audebit spernere, tecum*
*Vivere Romanùm, & seros promittere Marcos.*
*Duc citus; intus habe, quod ames: sic cætera porrò*
*Succedant sperata tuis ex ordine votis.*

*O noctem nullâ mutandam luce! ruat Sol,*
*Oceanumque manens totum bibat, atque soporem*
*Contrahat ingentem. Cras surgat ab æquore salso,*
*Et Fescenninas lux pellat honesta tenebras.*

*Aut, cui nullus erit pudor, & vino cor adustum,*
*Aut Amor, aut ruber ipse canat taratantara Bacchus,*
*Qualeque deduci negat in proscenia bellum,*
*Qualeq; virginibus durum sit pangere Musis,*
*Quarum apud, heu, paucos vivit reverentia vates.*

*O par molle cubans; pereant mala fascina tantùm.*
*Ex istâ pueri surgant tibi, Petre, quiete,*
*Et similes mente ore tibi, Christina, puellæ.*
*Tum longum, longumque genus pandatur ab illis,*
*In decimos (fiet, quod & auguror) usque nepotes.*
*Perpetuùm stabit bona res hæredibus aucta:*
*Ibit sera patris, matrisq; in sæcula nomen.*

# Ad thalamum
# IOANNIS FONTANI
## *Medici excellentißimi.*

*SCilicet hunc ſcandit iuvenis cum virgine lectum:*
*Virgini erat roſeo facies formoſa pudore,*
*Viſa ſtupeſcenti ſimilis trepidare, timere*
*Neſcio quid; quaſi vim trucis impendere putaret*
*Raptoris, validaſque manus, feraq; oſcula, & æquis*
*Indignam auſpicijs Venerem, nexuſque ſceleſtos.*
*Scandit at illa torum tamen, exceptura petentem,*
*Leniter amplexus iuvenem, ſine veſte, ſine armis.*
*Indignante, reor, non vociferabitur ore,*
*Improbe, ſacrilege, irati Iovis igne peribis:*
*Nec Veſtalitiâ quaſi ſimplicitate gemiſcens,*
*Ah, precor, ah, ſacra ſum, noli me tangere, dicet.*
*Nec dicet, facilis labor eſt inijſſe puellam,*
*Et vile oppreßiſſe decus, vitioque voluptas*
*Non caret illa ſuo, quæ, quò perfectior, illò*
*Deterior ſubitò generoſis pectora rumpit;*
*Quæq; alia arguto loquimur ſubtiliter ore:*
*Præſtabit blando obſequium taciturna marito.*
*Nec tibi lingua pigra eſt, nec guttur inane, cubili*
*Quiſquis in hoc recubas dulci ſociatus amicâ.*

*Iamque licèt taceas, noctisque silentia laudes,*
*Tu lepidos quondam solitus mihi mittere versus,*
*Calcar & ad Musas urgens urtica fuisti.*
*O Fontane, cui sub pectore vivit Apollo,*
*Sospes Apollo, regens medicas cum viribus herbas:*
*Te meritò nostræ nuper cecinère Camænæ*
*Doctè, ac tripliciter nigrâ de bile loquentem.*
*Non pudet, & referam: medicinæ Græcia nutrix,*
*Atque parēs, quæ prima animas revocavit ab umbris,*
*Iure quidem magnæ tribuebat laudis honores*
*Talibus, & miro tollebat in æthera plausu.*
*Italiam per avi fugiens vestigia adisti,*
*Vtilior patriæ duras redituræ per Alpes.*
*O iterum fines non deserture Batavos*
*Coniuge mox gravidâ, & puerorum pondere onustus!*
*Nunc tua, nuc subeant maiores pectora curæ;*
*Sique vires, pater esse velis: est illa puella,*
*Quæ tibi denupta est, gignendis apta puellis.*
*Tempus erit primo cùm sol os aureus ortu*
*Proferet, & summas perstringens lumine terras*
*Vix Eoi caput tandem super æquora tollet:*
*Omnia tunc vivunt; tunc lucis prima iuventus.*
*Iamtum dulce iacere in amore, & habere puellam,*
*Mollia cùi longæ referantur somnia noctis.*
*Lætari primâ non est insania luce.*
*Sole novo amplecti fas, & gaudere maritis:*

*Oſcula ſole novo ſapiunt, ſapit ipſa voluptas*
*Fœcundans caſto genitalia vincula nexu.*
*AEtheris haud aliud nox eſt, quàm triſte cadaver:*
*Stragula conveniunt lectis, ut ſaxa ſepulchris.*
*Ipſe quidem mors eſt, ſed non mors ultima ſomnus:*
*Hinc, quot quiſque vigil vidit, tot vixit & annos.*
*Nox mala, nox fecit nomen ſibi turpe nocendo.*
*Lumina tranſennæ ſunt, per quas cuncta videntur.*
*Luce ſuæ rebus formæ, & ſua vita colori eſt.*
*AEterni ſanctas manifeſtans Numinis artes*
*Vera dies ait eſſe deos, mirabile dictu,*
*Sic, quaſi ſint plures unus, diverſus & idem.*
*Omnia fulgentis ſunt omina fauſta diei.*
*Attamen, ô, pulchro ne lucis abutere vultu:*
*Conveniunt claris exempla pudica diebus.*
*Vince pudore canes, careant velamine tauri,*
*Tu tegere, & caſto ſcelus omne exclude cubili.*
*Naſcentur pueri, de queis bona Parca profundum*
*Cogitat, in longos dum ſtamina præparat annos,*
*Diſſuadente nimis Libitinâ, avidoque Charonte.*

# FESCENNINA.

## ODE I.

SPonſum quies, ah, decipis,
Falſiſque mulces gaudijs
Ignara fraudis pectora.
Ratus miſer ſe coniugis
Tenere molle brachium,
Toro Charis quem admoverat,
Prenſum tenebat ſtipitem.
Quæ ſemiſomnis ſe dare
Sponſæ putabat, irrita
Spondæ dabantur oſcula.
Multa & petita foriter,
Deſerta ſunt & protinus,
Sunt & petita denuò
Laborioſè baſia.

## ODE II.

St, ſt; ſiletur in toro:
Par hoc madentis veſcitur
Dulci ſoporis pabulo,
Et irrigando ſpiritus
Bibit recentes pectori.

*Morpheu, tuas imagines*
*Heic expedi, intraq; intimam*
*Frontis cavernosæ specum,*
*Mentisque sedes exhibe,*
*Ab se remota quæ procul*
*Huiusce rex tori putet*
*Videre se spectacula.*
*Fac alitem celerrimo*
*Raptum impetu Cupidinem*
*Præalto ab orbe siderum*
*Iovis cita ante fulmina*
*Tactis ovantem pascuis.*
*Ibi mox sponsæ argenteum*
*Caput, capillos aureos,*
*Dentesque fac eburneos;*
*Gemmis micent pellucidis*
*Sereniora lumina:*
*Labella purpurantia*
*Rubentis in modum rosæ:*
*Candentiora liliis,*
*Plumisq; olorum brachia:*
*Collum, mamillas, & pedes,*
*Fac omnia elegantia,*
*Suam putet materculam*
*Cupido adesse cernuus,*
*Salveque dicat, in sinum*

*Mox*

*Mox involans, & mille mox*
*Poscensque, dansque basia.*
*Suam notet puellulam*
*Vir esse, quæ Cupidinem*
*Iam fallat ; hæcque iudicet*
*Cras vera certus omnia ;*
*Neget fuisse somnia.*

## Ad torum

## *IASPARI DIMENI.*

*QVæ dulcia heic nunc murmura,*
*Quos audio susurrulos,*
*Quasi duorum amantium*
*Suavè mußitantium, &*
*Se mutuò osculantium?*
*Suam cubili in hoc habet*
*Iasparulus iuvenculus*
*Hilgundulam iuvenculam.*
*Abi, sopor ; procul, sopor ;*
*I tristia ad cubilia.*
*Da te, sopor, puellulis,*
*Nemo virûm quas diligit :*
*Da teque neglectis procis,*
*Procisque lachrymantibus,*

*Quos ſuſpicacis Vitulæ*
*Fefellit inconſtantia.*
*Feßis laboratoribus*
*Te da ſuavem & parvulis*
*Te da; atque dentientibus,*
*Ne vagiant, infantibus.*
*Da te pijs nutricibus.*
*Da te hoſtium excubantibus*
*Ad clauſtra militonibus.*
*Da te, ſepor, laſſo coquo,*
*Ne cras ad ollas dormiat.*
*Abi, ſopor; da te cruci,*
*Nec plura tecum garrio.*
*Veni Venus, veniteque*
*Vos ô venuſtæ Gratiæ:*
*Veni ſuperba Cinxia,*
*Hymenque, tuque Iuppiter*
*Piloſior ſophiſtico*
*Mento ſalacis hirculi.*
*Veni, Cupido, dulcium*
*Pater ſeverus ignium,*
*Tuoſque tu cura focos,*
*Iecur, pia & precordiæ*
*Paris beati, vividi,*
*Scientis ac mille in modos*
*Süaviare ſuavia.*

*Hac nocte nullas noctuas*
*Læti videbunt auspices:*
*Nec per sepulchreta obviæ*
*Vmbras petent veneficæ:*
*Nec inferent bonis manum*
*Mali tenebriunculi.*
*Quicumque Amorem prædicant*
*Apud Voluptatem suam,*
*Apud suam Columbulam,*
*Et Turturillam apud suam*
*Quamvis inermes, & sine*
*Sicâ bonorum filij*
*Nil triste somniantium,*
*Domum redibunt sospites:*
*Serena erit iugalium*
*Nox gaudiorum conscia.*
*Iniqua nox hæc furibus*
*(Si fors puella quæpiam,*
*Domum exeunte amiculo,*
*Fores sinistrè clauserit)*
*Minante erit Proserpinâ;*
*Plutonis aulam quæ sui*
*Cum ponto adibit obruta,*
*Narrabit atroci AEaco*
*Memor nocentûm crimina.*

In

In Nuptias

## HENRICI BONTII.

HActenus castæ latus ad sororis
Margaris somnis fruitur quietis:
Hactenus noctes videt, invidetque
Cypris inertes.
Tuque vir, Bonti, gemis, ac venustæ
Pervicax tentas thalamum puellæ,
Gnarus & blandè loqui, & osculari, &
Fingere morbos.
Si mihi tanto mea virgo nisu,
Totque sit moliminibus trahenda,
Audiam nunquam pater, aut maritus
Nomen amicum.
Pauperi coniux locuples marito
Grande tormentum: bene possidentem
Pauca servabit semel optimorum
Cura deorum.
Impares omnes valeant puellæ,
Et pares omnes valeant puellæ,
Quotquot infidam officioso honestant
Nomine fraudem.
Cœlibes vivam sapienter annos,
Inque lauretis moriar Dearum,
Quæ liquant sacras, pede quas paravit

*Pegaſus, undas.*
*Mille de bellis, lepidis, venuſtis*
*Vnica ardetur; furor eſt: carere*
*Cogimur multis; careamus unâ*
*Sponte puellâ.*
*Nox patrandarum nigra nuptiarum*
*Teſtis, ac veſtis; ſpatiumque rerum*
*Non gerendarum, niſi cùm profundis*
*Fallis in umbris.*
*Tu verecundis animos puellis*
*Adſtruis ſollers, adimiſque curam*
*Erubeſcentis faciëi, & altum*
*Prodis amorem.*
*Margaris per te facilis ſubit nunc*
*Mollium pondus leve gaudiorum;*
*Blandulò nunc obſequitur marito, atq;*
*Oſcula captat.*
*Nunc torum turpat Venus, & veneno*
*Miſcet impuros olido cruores:*
*Nunc fit id, nullo quod apud pudicos*
*Nomine dignum eſt.*
*Quàm citis olim Phaëton quadrigis,*
*Tam citis iſti, rediture tardis,*
*Dum ſuis fraudas ſpatijs Novembres,*
*Phœbe, Calendas.*

*Fœda*

*Fœda mortali in tenebris origo*
*Panditur; bellum genus ergo ſpirat*
*Gloriam, ut toto ſonet invidendum*
*Nomen in orbe.*
*Neu beatorum melior Deorum*
*Fama ſit, ſudant homines ſuperbi.*
*Prô! laceßito ſtetit alta quondam*
*Turris Olympo.*
*Huic propagando generi favet nox,*
*Nox, & auctores ſcelerum tenebræ.*
*Nocte furata eſt Venerem pudici*
*Myrrha parentis.*
*Nocte ſopitæ capiuntur urbes:*
*Troia nocturnis periÿſſe flammis*
*Dicitur; noctù periÿſſe Thisbe, &*
*Pyramus ardens.*
*Ipſa dat nomen ſibi nox nocendo:*
*Septies ſeptem Danaï feroces*
*Filiæ noctù totidem necârunt*
*Enſe maritos.*
*Noctè nonnuptas Lemures puellas*
*Territant; noctem vitiant ſepulti:*
*Noctè purgatas etiam profanant*
*Somnia mentes.*

*Se suæ nuper latus ad puellæ,*
*Quæ in crucem ob partum data erat peremtum,*
*Noctè suspendit procul huc ab Indis*
*Nauta reversus.*
*Noctè per sylvas, & amæna rura*
*Obvios vir tres timui latrones*
*Vnus: heu, quàm tunc mihi prava nebant*
*Stamina Parcæ!*
*Ite fortunæ: metus i- valete*
*Crux viatorum nemora, & cruentæ*
*Tramitum Syrtes: procul est nocenti*
*Portus ab alto.*
*Patriam tandem Batavi tenemus;*
*Mox at, heu, mœsti gemimus, quòd Amstrum*
*Pestis infestat, sepelitque centum*
*Plùs hecatombas.*
*Duximus pulchræ exequias Elisæ:*
*Hæc fuit castæ similis Dianæ,*
*Hæc fuit forti similis Minervæ;*
*Heu, fuit, haud est.*
*Hæc sibi longos venientis annos*
*Finxerat vitæ, peritura tamquam*
*Flosculus mox, mox peritura tamquam*
*Fumus, & umbra.*

*Nulla ineſt tetro ſpecies ſepulchro:*
*Os, genas, crines, oculos, mamillas*
*Pus edit: diræ lapidum premantur*
*Pondere peſtes.*
*Cum ſuo vivax pariter marito*
*Margaris ſeram videat ſenectam;*
*Interim pulchros pariat puellos,*
*Lactet, ametque:*
*Patris æquales pariat puellos,*
*Qualis in matris gremio, futurus*
*Puſio mox Aonidum, beatus*
*Vagiit infans.*
*Sin ſui mavult ſimiles puellas*
*Margaris, non id prohibete Muſæ:*
*Nubiles matris poterunt amare*
*More poëtas.*

# ANIMA.

QVot sunt, quotque fuere, & erũt veniẽtibus annis
Mortales, totidem numero distinguit eodem
Relligiosa fides animas: non omnibus una est.
Vnicuique una est homini: privata potestas
Iudicij cuiusque sui, mens, atque voluntas
Cum sensu, vitâque simul sunt spiritus idem.
Intima ea effigies, membrisq; immersa profundis
Forma fluit, penitusq; humanos occupat artus,
Cumq; his est hominem pariter iunctissima in unum.
Non, velut accendi planum est de lumine lumen,
Sic homini alter homo sua dat primordia; verùm
Ipsa animis præsens opera est divina creandis.
Omnimodò unum & idem est, nec habet quid orgi-
A sese in sese simplex mens numinis instar (ne dispar
Non tamẽ est numẽ: neq; enim Deus in nova stillat
Viscera, nec sese nobis quasi mutuus indit.
Quæ modò prima novo mens corpore mergitur, ante
Nusquam erat, in cæcum mox componẽdæ sepulchrum
Membrorum, & spissos arctè cogenda sub artus.
Corporibus demum in terram fugientibus, illa,
Quod fuit antè, manet; sine vi, sine morte superstes,
Estque recollectos vivax reditura sub artus.
Exulat intereà, & nullis inclusa moratur
Visceribus, donec, sublatis undique fatis,

Induat

Induat haud ſurdo repetens cutem, & oſſa ſepulchro;
Puraq́; amet Superos, aut nigra feratur ad Orcum.
Quaquâ mortalem veteres ſtuduêre Sophiſtæ
Fraude probare animam, facili turbabitur arte:
Quaſque fovent alias verborum ſemina nugas,
Longè inteſtinis verni leviora Favonî.
Hæc eſt ipſorum ſapientia Chriſticolarum.

# ERRATA.

Pag.46.verſ.13,ego pro ago.
Pag.35.verſ.9,Ænonem pro Ænomen.
Pag.104.verſ.10, ſopor pro ſepor.

CORNELII GISELBERTI

# PLEMPII

# EMBLEMATA

## QVINQVAGINTA



AMSTERODAMI
Apud *Ioannem VValschardum*.
CIↃ. IↃC. XVI.

# PETRO CORNELIO HOOFDIO MVDENORVM TOPARCHÆ

Emblemata ſua dedicat,

# C. G. PLEMPIVS.

EMblematum quinquaginta volumellum, quod nec labore,nec otio conſcripſi,tuum eſſe volo munus levidenſe. Quid opiner? Emblematis aliquando meis famam , atque lectores fore? Neſcio: ne quidem ſi Plantinus aliquis ita velit. Non unus nunc Atlas cœlum fert. Deus bone! qui nixus , quæ allaborationes! Pereũt nugæ, quiſquiliæ conculcantur. Etiam vulgo ſapientiæ ſumma nunc innotuit,& ultra crepidam ſutoribus admiranda. Si tamen apud ingentia verſiculis erit aliquid loci,ſive lucis; gaudeam ex induſtriâ meâ profectum , quod te patrono non prorſùs indignum noſtri cives arbitrentur. Sed verſus tiam lege.

Magne

Magne vir, atque meæ laudator honeste Camænæ,
  Quem caput agnoscit Muda regenda suum:
Accipis, en, tibi quæ debebā emblemata: tot sunt,
  Fert quot honoratos Curia nostra Patres.
Sat scio: momenti quoquè sunt Emblemata parvi:
  Inque pedes joculus cogere verba fuit.
Magna dabunt, qui te sibi divincire laborant:
  Malo ego non vinctos liber amare meos.
Ipse Deus nimiâ malè relligione colatur:
  Est cogi nimiâ relligione coli.
Crede mihi, majora volunt, qui magna priores
  Munera dant, reddi: nil ego, Petre, peto.
Tu tamē esto meus: neq́ plus peto; sum tuus ipse;
  Totus; & ut planè desit ab asse nihil.
Es meus, atque meos capiunt tua pectora sensus:
  Sunt bona iudicio carmina nostra tuo,
In quibus est aliquid, quod mentem dicere possis.
  Mentem utinam possis dicere jure bonam!
Cavi equidem, quātùm potui, mala mēs ut abesset;
  Si nec abest; veniâ mens mala digna bonâ est.
Nemo suas iusto voces examine penset:
  Hic quoquè, cur Momus vociferetur, erit.
Si tamē omnis abest mala mēs, haud vanus Apollo,
  Qui sal adspersit versibus, ipse fuit.
Quærebas autem genuinum emblema quid esset,
  Atque rei nomen venerit unde suum.

Facta

Facta vetustati ex auro, argentoque fuerunt
Pocula, queîs addi sœpe solebat honor.
Queîsq; honor auferri solitus; quia posset & addi,
Posset & auferri: nexus, & ansa fuit
Et loculi: loculis sua cælamenta quadrabant,
Vt facilè inserere hæc esset, & eximere.
Rerum ostentabant formas, variasq; figuras:
Astra, fretum, silvas, numina, bruta, * viros,
Amplexus, choreas, ludos, convivia, lusus,
Prælia; cum flammis te quoquè, Troia, tuis.
Delicias istas emblemata Roma vocabat,
Immitti loculis nempe quòd apta forent.
Auro cælato subludit picta papyrus,
Nomen & antiquæ nobilitatis amat.
Apta fuêre scyphis tamen haud emblemata solis:
In clypeis etiam Mars tulit illa suis.
Illa pavimentis, tabulamentisque fuerunt
Indita mirandis vermiculata modis.
Vermiculos ebeni liceat segmenta vocare,
Ipsaque ceu strictis vincula funiculis:
Quæ tabulis etiam nunc iniunguntur aratis,
Tinctaque taurino glutine fixa manent.
Cur neque sit simplex decumanum emblema ro-
Reddenda est ratio protinus ista tibi. (gâsti:
Simplicia esse volunt quicunq; emblemata, peccãt:
Rerum unum multas ferre potest facies.

* præser: Epicu.iu

Q Estque

Eſtque ſatis, multæ ſi confundantur in unam.
Diſtingui tamen has quis mihi poſſe neget?
Quæ verò ſtrictè, commembratimque cohærent,
Ampliùs iſtarum mens memor eſſe ſolet.
Fas emblematibus multos ſubſcribere verſus;
Fas quoquè, quos non fert Iunius ipſe, ſales.
Iunius haud ſcripſit, ſed pingi emblemata juſſit,
Vix ſuper his auſus pauca poëta loqui.
Ne feſtinanti mea verbula longiùs obſtent,
Finio: Fortuna, en, prima videnda venit.



# EMBLEMATA.

## EMBL. I.



*En Fòrtuna : manu quos rupem ducit in altam,*
*Præcipites abigit : carnificina Dea est.*
*Firma globo imponi voluerunt fata caducam,*
*Ipsa quoquè ut posset risus, & esse iocus.*
*Olim unctos Salij qui præsilière per utres,*
*Ridebant caderet si qua puella malè.*
*O quàm sæpe sales, plausumque merente ruinâ,*
*Erubuit vitium sors inhonesta suum!*
*Obscœnùmque nimis crepuit, Fortuna Batavis*
*Appellanda; sono, quo sua curta vocant.*
*Quoque sono veteres olim sua furta Latini:*
*Vt nec, Homere, mali nomen odoris ames.*

# EMBL. II.



*Annellata manus mihi significare videtur*
*Pulchellas animi vincula divitias.*
*Multa quòd in digitis quoquè mens videatur inesse;*
• 1 2 3 *Litterulis numeros ausa notare decem.*
456 *Octo ego lineolis factas ex pluribus aio:*
7890 *Ex unâ primam; circulus est decimus.*
* 12 45 67890. *Qui, quia nec numerat, nil recti continet in se,*
Malè sic, 4. 6, 3. *Nullaque ibi ostendi linea recta potest.*
*Multi deinde viri digitis piscantur ut hamo,*
*Et capiunt uncâ corpora opima manu.*
* Dief/ Dief/ Dives. *Forsitan ut nostros Romano a * divite fures*
*Aut non diversum nomen habere putes.*
*Aut mage Romanos a nostro fure vocatos*
*Illos, divitias qui rapuere manu.*

# EMBL. 111.



*Ardentem fugit, ecce, facem leo: tu fuge amorem:*
*Ista virûm vires solvere flamma solet.*
*Solvere flamma virûm vires solet ista: profectò*
*Corrupit Martis spicula sæpe Venus.*
*Fecit, is ut pugnas hymenæos esse putaret,*
*Et similem campo crederet esse torum.*
*Quis pudor, ô fortes! non: non sic regna parantur,*
*Sed pereunt. non laus; dedecus inde venit.*

EMBL. 15.



*Arcum læva tenet manus, auratamque ſagittam:*
*Rebus Amoris abeſt dextera ſæpe fides.*
*Sat ſapiant aliæ: tu ſis mea Dobbia demens,*
*Promiſsis facilem neſcia habere fidem.*
*Neſcia iuratis, & credere neſcia certis.*
*Nunc aliquid certo certius eſſe poteſt.*

## EMBL. V.




*Elugenda viris miseræ sunt tempora vitæ:*
*Hoc tibi pullatum dicere crede sophum.*
*Nunc, quorum miseri quondam luxere parentes,*
*Nempe colorata plus sibi veste placent.*
*Psittacus & corvi tandem prodibit ab ovo:*
*Sic nasci cygnos non nego posse nigros.*

EMBL. VI.




*Sus grunnit; fugit ergo elephas. quo nempe timore?*
*Nullo. grunnitum ſus amat ipſe ſuis.*
*Fruſtra miratur, qui ſe putat eſſe diſertum*
*Garrulus, haud ullis verba placere viris.*

## EMBL. VII.



*Lumina cancelli ſunt, per quos lumina cernunt.*
*Cernere nil aliâ mens ſine mente poteſt.*
*Vna quidem mens eſt, ſed non mens altera vulgo.*
*Vt ſapiant homines altera mixta facit.*
*Ah, mera ſimplicitas, res es digniſsima riſu:*
*Et ſtolidis tantùm cordibus apta iaces.*
*Promta licet magno iactes quoquè Biblia naſo;*
*Nulla tibi alterius guttula mentis ineſt.*

## EMBL. VIII.



*Sole procul nigram patitur delebilis umbram,*
*Datque polo pœnas Luna propinqua solo.*
*Obscuros fuge, ne simul obscureris & ipse:*
*Lux venit a claris accipienda viris.*
*A que nigro semper nigrescit amicus amico.*
*Puris coniunctus vivito; purus eris.*

EMBL. IX.



*Ecce autem: vulgo nihil est capitosius ipso:*
*Hunc numerum mentem vel neget esse Plato.*
*Monstrum, horrendũ, informe, ingens, cui lumẽ ademp-*
*Non videt atatem, quæ fuit, est, & erit.* (tum
*Sic nigret extincto nox obscurissima lichno;*
*Atque patent mediâ terna sepulchra viâ.*

E M B L. X.




*En ſceptrum. ſtatui dextræ hoc emblema potentis,*
*Ac maieſtatis teſſera iuſta ſolet.*
*Quid ſceptro inpoſitũ caput aureum? id eſt onus: ingens*
*Regna alter regno rex graviore premit.*
*Ore minax bifido cur ſceptrum amplectitur anguis?*
*Invidiam patitur quæque corona ſuam.*
*Blanditur caudâ, & vultu canis. Hoc ſibi quid vult?*
*Aſſentatorem ſtemmata ſemper alunt.*
*Et leo quid? vigilat, quanquam dormire videtur.*
*Hac A-conſilijs ſuſpicione time.*
*Cur non hac ſceptrum, parte & tenet altera ab illâ?*
*Sceptrum ſtat melius, quod tenet una manus.*

Cur

*Cur in aquis poſitum circumfluitantibus? ho[illegible];*
*Fluctuat inſtabilis more popellus aquæ.*
*Quò caput extollunt minimæ de flumine ranæ?*
*Sæpe nec exiguos carpere regna pudet.*
*Quæ ſimilis ſceptro ſub aquas apparet imago?*
*Odit, amat regem plebs imitata ſuum.*
*Sceptrum in ventoſas pictor bene ſuſtulit auras:*
*Vtpote amant ventos turgida regna ſuos.*
*Quid fert in lævam ſceptri inclinatio partem?*
*Extat apud reges gratia rara bonis.*
*Cur ſceptrum grande, atq; ingens eſt? regibus ipſis*
*Difficile eſt regni conſtituiſſe modum.*
*Nec mihi de nihilo cælum monſtrare videtur.*
*Vènit in humanam ſcilicet inde manum.*
*Tam prope ſunt cæleſte genus, plebecula, reges.*
*Rex nunquam, qui vult regibus eſſe male.*

## EMBL. XI.



*Deſpicit e prorâ Galbæ canis æquor arandum,*
*Atq; ait, ô nullâ res mare magna fide!*
*Non ego ſponte meâ vêni iactandus in undas,*
*Sed dominum iuſſus quâ ſequor uſque fide.*
*Eſt que fides vel in infidum mare abire volenti*
*Cum domino: peream, ſi perit ille, & ego.*

# EMBL. XII.



*Fræno obluctantem Balaas cædebat asellum:*
*Iustior obstanti cedis, aselle, Deo.*
*Dignaque verba viro loqueris. responsa magister*
*Rettulit, ast dictis non meliora tuis.*
*Quos penes arbitrium est populumq́; & fræna regendi,*
*Quique graves dorso triste feruntur onus:*
*Si sedeant simul & cædant, sua verba popello*
*Non deerunt: quanquàm nesciat ille loqui.*
*Occurrente Deo sciet. anne disertus asellus*
*Cùm fuerit, populus nesciat ore loqui?*
*Quin etiam excutiet sessorem, ac fræna rebellis:*
*Cæcaque blanditias esse capistra sciet.*

EMBL. XIII.



*Hannonem esse Deum, Carthago, ut i credere posses;*
*Hoc tibi dicturas doctor alebat aves.*
*Dicturas extra caveam procul arbore ab altâ.*
*Mentiri in silvis dedidicère suis.*
*Spemque fefellerunt mentiti sæpe magistri.*
*Sola nec Hannonem silva scit esse Deum.*
*Novi, quos sua turba Deos vocat: hæc bibit unà, atque*
*Unà edit: adstrictam fercula grata tenent.*
*Vincula demantur: fugit immemor, & silet altùm.*
*Nullus in ore cibus; nullus in ore Deus.*

EMBL. XIV.



*Sic ſolet ipſa ſuas oculis dare larva feneſtras:*
*Quique vident alios, quâ videantur habent.*
*Non facile imponit prudenti callidus: errat,*
*Qui credit fraudem poſſe latere ſuam.*
*Fallere non novit, qui vulgum fallere novit.*
*Vulgus ineſcari qualibet arte poteſt.*
*Vt fallas doctè, macilentos falle ſagaces;*
*Illi nam toto corpore, crede, vident.*
*Illis it graciles tenuis membrana per artus:*
*Ipſam in laternâ mentem habitare putes.*

# EMBL. XV.



*Mæcenatis erant asinini prandia pulli.*
*Quis putet hos asinum non sapuisse patrem?*
*Aut Mæcenatem quis desipuisse? profectò*
*Lautitiâ sibi vult nonnihil ille suâ.*
*Forsitan apta sat est asinus sapientibus esca,*
*Callidiora inter fercula si veniat.*
*Stultitiam adde aliquam, melior sapientia fiet,*
*Affusâ meliùs vina bibuntur aquâ.*
*Rectè ignoratis nonnullis multa sciuntur:*
*Quique sapit nimium, non sapit ille satis.*

EMBL. XVI.



*Olim nescio quis muris inclusit Athenas:*
*Nunc quoquè Timotheum nomine fama vocat.*
*Hic irretitas placuit pictoribus urbes*
*Acciperet, cæcâ munera dante Deâ.*
*Strennuus at voluit, non fortunatus haberi*
*Bellator capiens oppida Timotheus.*
*Illius excelsâ postquam res fracta ruinâ*
*Concidit, ô sortis nobile crimen, ait.*
*Vtpote fortunæ scelus est, non vincere: nostra*
*Gloria, felici tollere signa manu.*

E M B L. XVII.




*Vt tu te, Antoni, perimas Cleopatra ſepulchro*
*Abdit ſe vitam ceu poſitura ſuo.*
*Credo ſciebat enim ſine quâ nec vivere poſſes,*
*Antoni, nec te ſe ſine poſſe mori.*
*O dedit illa ſuo quantum tibi vulnus amanti!*
*Cæſar ut Auguſtus ſurgeret, illud erat.*
*Cæſare ſed victo mox ipſa uti Roma iaceres:*
*Nobilius regnum Româ futura viri.*
*Fœmina, non hoſtes facile eſt, ſed vincere amantes:*
*Cæſar amans verbis, re tamen hoſtis erat.*

## EMBL. XVIII.




*Hæc rosa purpureis similis, Basilëi, labellis,*
*Est nunc, sed non est pulchra futura diù.*
*Sic Dea sis patior, sic magnus amantibus ignis,*
*AEtnaque non uno nobilis Empedocle.*
*Vret hyems istam, quæ nunc micat ardua, formam;*
*Et decus extinguent frigora cana tuum.*
*Hoc ego, nilq; aliud iam te, Basilëi, volebam:*
*Certa videbaris non satis esse mihi.*

## EMBL. XIX.



*Emergis tepidus, mox attamen arduus ardes.*
*Num ſedet in curru, Phœbe, Cupido tuo?*
*Nam magis, ac magis, ac magis, ac magis ille puellus*
*Ex humili ſurgens corda per alta calet.*
*Ille ſuis totum flammis malè perdidit orbem.*
*Non alius, puto, ſic a Phaëtonte fuit.*
*Nec tantum accendit terras, ſed & aſtra; virûmque*
*Maxima pars Superos ſemper amare putant.*
*Turbaque laudamus magnorum exempla Deorum:*
*Noſque Dijs reddi ſamur amore pares.*
*Hinc qui promittunt vulgo poſt fata ſalutem,*
*Poſtpoſitâ Venerem virginitate colunt.*

## EMBL. XX.




*rectus leo & hinc, leo & hinc erectus honestant*
*Custodes patriæ publica signa meæ.*
*resque cruces commune decus, dignumque colore*
*Luminis, & capitis, Cæsar, honore tui.*
*ura levis non est mandanda leonibus : ergo*
*Robore servandas credimus esse cruces.*
*Magnus honor semper crucibus fuit, estque futurus.*
*Profuit AEsonidi vi crucis usa Venus.*
*elligioque rei vetus est : AEgyptia Memphis*
*Vitam venturam credidit esse crucem.*
*uique vir occidit fratrem crudelis Abellum,*
*Signandus cruce, quò tutus abiret, erat.*

*Nam*

*Nam Deus ex alto terras ſpectabat Olympo:*
*Nempe quibus magnæ mox crucis eſſet opus.*
*Quæ Solymis inter binos erecta latrones*
*Staret fixa ſolo, ſed gravis, Orce, tibi.*
*Hinc urbes multæ, quarum ſonat æthere fama,*
*In cruce ſymbolicum conſtituère decus.*
*Spes fuit armorum crux, Conſtantine, tuorum:*
*Hoc poteras ſigno vincere, non aquilis.*
*Viciſti ipſe vir, atque viri, fortiſsime, tecum.*
*Nullam Amſtella manum miſerat ergo tibi?*
*Fabula. miſſa tamen tibi ſi manus ulla fuiſſet,*
*Forſitan haudquaquam miſsa fuiſſet iners.*
*Tuque cruces miſsis ſignum cæleſte dediſses,*
*Aut aquilæ pennas ardua dona tuæ.*
*Quanquàm equidem haud fallor: virtus monumen(para-*
*Magna, & adorandi ponderis auſa viris.*
*Si non hæc; pietas memoranda, ac Cæſar amicus,*
*Ipſaque Romani gratia blanda Patris.*
*Denique larga manus, non ambitione, vel aſtu;*
*Sed magis erga te, te Crucifixe, fide.*

EMBL. XXI.



*Alea, cùm cecidit, pede mox ſtat fixa quadrato:*
*Hoc ſatis exemplo vivere fortis habet.*
*Non ego marmoreo quenquam volo pectore durum,*
*Nec volo inhumanis mens ſit acerna viris.*
*Nobiliùs recti ſtudio, atque movemur amore,*
*Imus & huc, quò nos pondus & ordo vocant.*
*Abſit ut inconſtans, vagus, aut levis eſſe putetur,*
*Qui properat certum pronus habere locum.*

# EMBL. XXII.



*Ipsa erecta Deum monstrat natura, patremque,*
*Vitaque magnanimis sit docet unde viris.*
*Atq; ait, en cœlum: cœlum tua patria, virtus:*
*Quàm procul a terris, quàm procul illud abest!*
*Serpere qui docuit serpens fuit: evehe mentem;*
*Sic aliquo tolli corpus honore potest.*
*Ni corrupta cadat, mens it velut ignis ad astra,*
*Sublimemque volans pugnat habere locum.*
*Illa sui in terris mensuram novit Olympi.*
*Notitiam veri nomine Ticho vocat.*

EMBL. XXIII.



*Morte revivifcit, fi non eſt fabula Phœnix:*
*Fabula ſit; vero convenit illa tamen.*
*Innumeris unum commentis obrue verum,*
*Illud ut extinctum quilibet eſſe putet.*
*Nobilius factum mutatâ ætate videbis.*
*Vina nec unius Conſulis eſſe volunt.*

# EMBL. XXIV.



*Nobile turibulum, dives, nil dignius aris:*
*Hoc flammis auctum ritè superbit opus.*
*Quêis nihil ignis inest lascivum præter amorem,*
*Non Venus his, verùm pallor in ora venit.*
*Mens quibus at morum calet, ac virtutis amore,*
*Sancta Deos species, fronsque serena decet.*

## EMBL. XXV.



*Concursuri aries, ariesque hic cornibus huius*
*Hæret, & a nexu neuter abire potest.*
*Litis id ingenium est; vincit qui vincere non vult.*
*Vincere vis? victus, vel magè vinctus eris.*

## EMBL. XXVI.



*Ecce ferax manus: hic labor est, vitamque ministrans,*
*Et multâ vitam commoditate beans.*
*Qui tuaq;, & temet vis ipse perire, sedeto,*
*Et tibi utramque quies molliat una manum.*
*Duritiam perhibent cauto placuisse Catoni.*
*Desidiam perimit nata labore Ceres.*
*Floribus est eadem medicina, ac matribus herbis:*
*Radici parent dira aconita suæ.*
*Lautitiæ reddunt homines, mihi crede, pigellos:*
*Mobiliore valet corpore panis edax.*

## EMBL. XXVII.



*Nititur alta domus duratis frigore limphis,*
*Soleque ſolvendis protinus; ergo cadet.*
*Vitrea noſtrorum ſunt fundamenta laborum:*
*Ah, nimis ambiguâ ſede locamus opes.*
*Viſque voluptatem ſua mox ſubducta ruentem*
*Deſerit: o miſeros, quos beat una dies!*
*Succedunt pulchris opprobria dira triumphis,*
*Fineque cum nigro litigat albus honor.*
*Nempe ſuos dominos famulique, caneſque ſequuntur,*
*Quique avido pauper poſtulat ore ſtipem.*

## EMBL. XXVIII.




*Doliolum volvit Cynicus ſua templa. quid ergo?*
*Pars Cynicus non eſt nulla, Corinthe, tui.*
*Civis agit cunctis aliquid cum civibus unus.*
*Cunctis arcendo Marte Philippus adeſt.*
*Vnus ait variâ ferri mortalia ſorte:*
*Fortunæque vices non dolet eſſe ſuas.*
*Indulgetque rotam labentem huc, aut magis illuc,*
*Se ſibi nec lautâ conditione placens.*

## EMBL. XXIX.



*Murenam coluber, positis procul ore venenis,*
*Nempe suam Venerem nil nociturus habet.*
*Nescio, sed si non meus hic me fallit Apollo,*
*Nubilis invidiam mitigat una Venus.*
*Hostibus, o Magni, liceat denubere vestris:*
*In molles illis sit via tuta toros.*
*Difficile est binos simul exercere furores:*
*Alter ab alterius viribus error obit.*
*Quando Paris miles Menelaüm vidit, amavit*
*Fortiùs, inq; Helenæ maluit esse sinu.*

# E M B L. XXX.



*Stercoris appellant pertusam nomine sedem:*
*Pontifices locat hac Roma regenda novos.*
*Non malè tangendos (levis est ea fabula vulgi:*
*Et bene succedis mas, Benedicte, mari.)*
*Sed confutandos; & qui sint, rite monendos:*
*Non ideò melius, nobiliusque cacant:*
*Non ideò natibus quoquè tergendis sibi desunt,*
*Quòd magnâ teneant omnia sacra manu.*
*Officiosa sua est manus ipsa potentibus; & quem*
*Purget, habet culum regia dextra suum.*
*Esse verecundus, tu Roma ignosce, volebam:*
*Stoïca res sedes est tua visa mihi.*

EMBL. XXXI.



*Quoque mihi arrides, quo me quoquè amare videris,*
*Delector vultu, Simpliciane, tuo.*
*Mentis inesse quidem tibi nil existimo. quid tum?*
*Malo hoc, quàm mentem, Simpliciane, malam.*
*Nec taceant, qui te, qui me magè murmure mactant,*
*Compescet risum sic quoque nemo tuum.*
*Gaudebitque tuo semper mea pagina vultu:*
*Tuque meus semper Simplicianus eris.*

## EMBL. XXXII.



*O speculum fallax! tibi visus inesse profundo*
*Specto repercussus meque, meumque locum.*
*Nobilitat clarâ quam splendida vestis in aulà,*
*Non mihi, sed soli tu tibi turba nites.*
*Asperitate mihi nihil est acceptius albâ:*
*Planaque rusticitas, cur bene ametur, habet.*
*Lucidulos nolo (fallunt splendore) colores:*
*Credideram verum; pictus amicus erat.*

EMBL. XXXXIII.



*Hæc mea tuta domus, mea clathra, arx, mœnia, fossæ;*
*Salva quies, si me quæritis, hic habito.*
*Sumque mihi regnum; nec opimo tristis honori,*
*Aut Veneri, aut dominis servio divitijs.*
*Magne, tuum cedat diadema, Philippe, cucullo:*
*Curis subsutis non solet esse gravis.*
*Non habet assiduos dominorum incommoda servos:*
*Et locuples, & inops spe caret, atque metu.*

EMBL. XXXIIII.



*Digreditur, totâque viâ funambulus errat:*
*Planities pedibus covenit una meis.*
*Perspiciunt scioli res, ac dignoscere certant*
*More perexili, pertenuique modo.*
*Diffluit, atque perit ratio rationibus horum:*
*Nescio quas umbras rebus inesse vident.*
*Amplectantur eas; magna est sapientia magna est:*
*Rerum ego corporeâ corpora mente sequar.*
*Non quòd non faveam studijs obtusus acutis;*
*Sed malè amat ventos vulgus inane suos.*

## EMBL. XXXV.



*Inter apes si sit, lis, & vis orta volantes,*
*Iacto sedari pulvere, credo, solet.*
*Miror ego, quoties reminiscor bella virorum;*
*Miror ego, & pacem pulveris opto memor.*
*Pulvere quis nescit fortissima corpora mergi,*
*Reddendo alternis vulnera vulneribus?*
*Sed neque si madeat permulto sanguine tellus,*
*Conditio pacis promptior ulla venit.*
*Arma placent semper, quasi sint res arma virorum.*
*Improbus est, quem vis semper, & arma iuvant.*

EMBL. XXXVI.



*Antè novos preßim prælum Harlemense libellos*
*Stringit, ut hinc latè libera turba volent.*
*Atque manus utì mox procul effundantur in omnes:*
*Sæpius huc ingens sic mare Caurus agit.*
*Clarior a tenebris ita vendicat æthera virtus,*
*Augusta angusti carcere facta loci.*
*Hoc demum est certæ monumentum cudere famæ,*
*Quando minùs liceat, tum magis esse bonus.*
*Stare, nec a recto flagris, cruce, morte revelli.*
*Talis enim quò non laus penetrare solet?*

EMBL. XXXVII.



*Idolo; cui ſacra facit Sina, cùm cecidit ſors,*
*Aleaque in tumulos ſemirotunda duos;*
*Offa datur ſuis occiput, & mera vina, & oriza;*
*Et miſſus ſectis dantur ab alitibus.*
*Fercula gaviſus bona mox Sina devorat ipſe,*
*Dum ſalit, & gyris ſe rotat ille ſuis.*
*Abſtinet exiguis vini tantummodò guttis,*
*Atq; anatum unguiculis, auriculiſque ſuis.*
*Dives ab idolo Sinico nil diſtat avarus:*
*Non niſi divitias aſpicit ille ſuas.*
*Nec bibit ex opibus; nec edit. pulvis tuus, hæres,*
*Eſt o ſepulchralis, cætera, ait, mea ſunt.*

# EMBL. XXXVIII.



*Non est, ô cornix, vulpecula mortua, non est:*
*Impleat ut ventrem, sic iacet illa, suum.*
*Esse cadaver amat, quia non amat esse cadaver:*
*Fallit, & hac vitæ consulit arte suæ.*
*Grata repentinis laniabere morsibus esca,*
*A tam tranquillo si minùs hoste caves.*

## EMBL. XXXIX.



*Tardior arrepens prorumpit ab obiice Rhenus;*
*Nec ſilet, effuſis dum ruit albus aquis.*
*Obÿce virtuti ſcelus; ô res maſcula, dices:*
*Nobilis, ac magnæ voce canenda tubæ!*
*Ille quidem ſtrepitus, rerum impetus ille bonarum;*
*Maior ut obiecto fiat uterque malo.*

EMBL. xl.



*Se ſuper ardentes iacit, ecce, ciconia pullos;*
*Quos ſi non ſervet, vult tamen ipſa mori.*
*Vos ea, Delfenſes, ea vos hortatur ad ignes:*
*Vos vult pro veſtrâ poſteritate mori.*
*Plurima non natis, magis at ſibi, turba laborat:*
*Sic nec ijs mater denique, nec pater eſt.*
*Exortæque volant putri de ſtercore veſpæ.*
*O miſeros, quos non ſors quoquè avita beat*

# EMBL. xli.




*Mus, elephante, tibi minimus ſolet eſſe moleſtus:*
*Emungit naſum ſæpius ille tuum.*
*Quid facias? etiam ſua ſunt incommoda magnis;*
*Vernula dat domino verba iocoſa ſuo.*
*Sæpe puer naſo regem tenet; eque minutâ*
*Plebe aliquis, pluſquam Conſus, in urbe ſapit.*
*Includuntque ſuos vulgaria limina riſus:*
*Sæpeque ſunt parvæ grandia regna domus.*

EMBL. XLII.



*Simiolum ægrotus leo devorat; ergo valebit,*
*Ac poterit vires victor habere suas.*
*Fulta stet egregiâ nisi dexteritate potestas,*
*Convulsis nervis mox labefacta ruit.*
*Dexteritate quidem: nam regum est fallere multos,*
*Qui sapiunt ipsis gens speciosa sibi.*
*Fallere dicebam: lædentes lædere vulgus*
*Audet: adulator rex bonus esse potest.*
*Magnus adulator: careant modò crimine gestus:*
*Fraus bona vult nullum fraudibus esse locum.*

EMBL. XLIIII



*Pallia cùm ſetæ purgent lutulenta ſuillæ,*
*Cur malè metimur nobilitate decus?*
*Interiore hominum ſimiles ſunt corpore porci:*
*Sæpe bono natis ſanguine porcus ineſt.*
*Sordida ruſticitas puro quoquè fulſit honore,*
*Dignaque cum pompâ ſceptra tenere fuit.*

EMBL. XLIV.



*Os homini ſimilis quamvis eſt ſimius, ille*
*Ridiculus tamen eſt totus, amatque nuces.*
*Eſt diverſa fero facies, ſed honeſta, leoni;*
*Nec vir in hac, bene quod rideat, ullus habet.*
*Iſtorum, teneris ſimiles qui ſemper homullis,*
*Auguſtæ in vultu nil feritatis ineſt.*
*Convenit informes mirari, ac dura colentes*
*Antra viros, quorum nemo leone minor.*
*Maluit eſſe rudi ſimilis Baptiſta camelo,*
*Quàm nimis humanam mollis habere cutem.*

EMBL. xlv.



*Delitet Oceani salsis echeneïs in undis:*
*Dicitur hæc magnas parva tenere rates.*
*Vela licèt tumeant Aquilonibus alta secundis;*
*Hæc facit ut maneat, stetque carina loco.*
*Nec nimis id mirum: magni quoquè stare virorum*
*Adstricti nugis, quisquilijsque solent.*
*Qui manū avaritiæ (turba est numerosa) dederunt,*
*Hos vim sistendi nummulus unus habet.*
*Qui sequitur Veneres, limo retinetur ocello:*
*Sunt alij, fallax quos remoratur honos.*
*Est adeò, atque adeò vinclis prædulce teneri:*
*Ergo voluntati iam quoquè velle deest.*

EMBL. XLVI.




*Maturè fœtus quia non ſolet edere, vitam*
*Rupta puerperio ponit echidna ſuo.*
*Tu, qui corde ſcelus premis, & ſcelus eſſe fateri,*
*Quod ſcelus eſt, non vis; rumpere; echidna mera es.*

EMBL. XLVIII.



*Implet araneolos hausto flos ille veneno,*
*Qui delibato nectare pascit apes.*
*Quisque, ut habet mentem, sic chartis utitur, & sic*
*Ipsa legit claris verba notata libris.*
*Si quod condat opus Deus æthere lapsus ab alto,*
*Rarâ lectores iungat amicitiâ.*

## EMBL. XLVIII.



*Cùm liceat culici claris gaudere diebus,*
*In face nocturnum quærere funus amat.*
*Viginti ætatum sciolis sapientia parvi est;*
*Per licet auctores luceat illa suos.*
*Splendeat & totum quamvis laudata per orbem:*
*In pretio est sciolis nil nisi scire suum.*
*Hoc tamen obscurum tenebras ita vincit opacas,*
*Vt mala non aliud noctua lumen amet.*
*Qui sapit unus homo, tenuem vanescit in umbram;*
*Nullaq; ei a multis tradita vita venit.*

# EMBL. xlix.



*Vicerat iratam sub Bellerophonte Chimæram;*
*Lætior hinc tandem Pegasus astra petit.*
*Obijcitur monstris dum corpore spiritus hæret,*
*Frenaque submissus cogitur arcta pati.*
*Victor abit læto sublimis ad astra triumpho:*
*Datque lubens illi turba superna locum.*
*Vobis hinc igitur continget abire beatis,*
*Quorum nunc virtus monstra superba domat.*
*Monstra superba viri, male qui mortalia turbant*
*Omnia; qui sceleri dantque, petuntque decus.*

EMBL. L.



*Mors ſumus una omnes; ſumus unica mortis imago;*
*Sive aliquis bellus, ſive qua bella fuit.*
*Sive aliquis fuerit nummis, ſeu pulcher honore:*
*(Forma bona a nummis, forma ab honore venit.)*
*Cùm morimur, fædam in faciē confundimur omnes;*
*Terriculamentum nec niſi turpe ſumus.*
*Mors mihi apud ſeros non eſto videnda Philippos;*
*Tu nunc, tu ſemper, faſtus ut abſit, ades.*

# COROLLARIVM.
## ad Basilëidem.



I

*En florum variâ stellantem luce corollam:*
*Eccè decus, quo nil pictius annus habet.*
*Res, Basilei, tua est; tibi namque venusta iuventus* Materies Angeriani est apud Scaligerum in Hypercr. Poëtices.
*Vernat, & his planè floribus apta micat.*
*Sunt rosa labra, oculi violæ, candentia collum*
*Lilia, luteolæ nil nisi caltha comæ.*
*Quid mea verba velint, rogitas? Basilëi, protervis*
*Ob formam; tamen, ut flosculus, illa perit.*

Quot

II

*Quot flores strophio tot gemmas cernis in isto:*
*Flora suo tales vertice gestat opes.*
*Te, Basilëi, decent; tua nunc ætatula vernat;*
*Floret in ore tuo nunc iuvenilis honor.*
*Tota labris rosea es, rutilis hyacinthina ocellis;*
*Alba tenent collum lilia, caltha comas.*
*Quid loquar haud sentis: penetrabo licentiùs aurem:*
*Vt flores, formam dico perire tuam.*

III

*Insignem multo florum splendore coronam*
*Dono, caput cingas quâ, Basilëi, tuum.*
*Sic redimibit enim gemini te gloria veris;*
*Si speciem nôsti plus sat honesta tuam.*
*Os roseum; color est oculis hyacinthinus, auro*
*Caltha comas tingit, lilia colla nive.*
*Quid dicam, quæris? rem rusticus eloquar: audi:*
*Quam flores, non est forma caduca minus.*

IV

*Temporibus satis apta tuis cape munerâ sertum,*
*Curvavit digitis Flora quod ipsa suis.*
*Vtpote læta tibi floret iuveniliter ætas,*
*Et tenero vernum ridet in ore decus.*

*Nar-*

*Narcißi accendunt oculos, & caltha capillos:*
*Labra pudor roseus, lilia colla tegunt.*
*Verba iubes addi nullo circundata velo?*
*Carpi forma velut flos, Basilëi, solet.*

V

*Flores ex ipsis fero munus Adonidis hortis:*
*Delicijs velit hos Cyrus adesse suis.*
*Accipe, cinge caput, Basilei, iuvencula bella es;*
*Conveniunt annis florida serta tuis.*
*Lumina narcißi, sunt pallida lilia collum;*
*Caltha capillitium; labra, genæque rosæ.*
*Vis ænigmaticum dispungi denique nodum?*
*Floris ad exemplum forma repentè cadit.*

VI

*Quam capiti imponas, mittit, Basilëi, corollam*
*Flora, tuo: Venus hanc munus habere velit.*
*Tu quoque iam Venus es, florente decora iuventâ:*
*Inque tuo vultu Maius amœnus inest.*
*Narcissorum oculi, sunt labra colore rosarum:*
*Picta coma est calthis; lilia colla ferunt.*
*Quod te scire volo, Basilëi, rotundius edam:*
*Est florum, ac formæ gratia fluxa tuæ.*

VII

*Quotquot in hoc radios iaciunt diademate flores,*
*Sole sub Elysio sidera nata putes.*
*Illorum cinctus tibi fulgeat ordine vertex:*
*Tu quoquè lucidulo vere serena nites.*
*Lilia cum violis, calthisque rosisque colorant*
*Collum, oculos, crines, atque labella tibi.*
*Quàm sis bella vides: sed & hoc Basilei, videto;*
*Caltha, rosæ violæ, lilia; forma perit.*

VIII

*Accipe figendum circum tua tempora Pæstum,*
*Quasque solet stellas Terra vocare suas.*
*Florea serta decent viridem, Basilei, iuventam;*
*Vernantem Venerem florea serta decent.*
*Scintillant oculis cyani, calthæque capillis;*
*Lilia collo albent; es labiata rosis.*
*Cùm factus multis sis flos ex floribus unus,*
*Obsecrò, florebit quàm tibi forma diù?*

IX

*Sunt flores; oculos surreptos dixeris Argo:*
*Floribus, ut stellis, sed sua zona subest.*
*Res tibi habeto tuas, Basilëi; ego temno, nec utor:*
*Tu flos es; florum tu redimicla geras.*
*Labra tua esse rosas, & eburnea lilia collum;*
*Visque comam calthas esse, oculos violas.*

*Anno-*

*Annorum numerus quis erit, Basilëi, tuorum?*
*An nescis parvam floribus esse moram?*

X

*Sidereis gemmis florum dare nomina cogor:*
*Lumen ab Aurorâ est, quo, Basilëi, micant.*
*His bene submittes caput, ac vernantis honorem*
*Frontis: & hæc apta est tænia, crede, tibi.*
*Qui tua colla videt, purissima lilia cernit;*
*Quique oculos, violas aspicit ille duas.*
*Cùmque comam pectis, mulcet tua dextera calthas:*
*Et carpit, tua qui basiat ora, rosas.*
*O periturorum rapidissima temprra florum!*
*Momento, ô formam, præcipitante, brevem!*

XI

*Do flores; flos es: coma calthæ, oculiq; hyacinthi,*
*Labra rosæ, collum lilia: tota peris.*
*Garrulus esse meras dicit mea munera nugas;*
*Mentitur; nugas garrulus ipse dabit.*
*Mentitur quoquè, cùm formosas esse beatas*
*Dicit; & est atheos, cùm tibi sacra facit.*
*Iudicio, Basilëi, meo Venus esse laboras?*
*Quam faciunt mores, est bona forma, boni.*
*Mores, non flores, æquabilitate renident*
*Perpetuâ, quâ nil pulchrius orbis habet.*

FINIS.



CORNELII GISELBERTI PLEMPII

# TABELLAE

ad

*Simonem Sovium.*

*HAs tibi, docte Sovi, spectandas dono Tabellas:*
*Sunt aliis aliquid; sed mihi penè nihil.*
*Olim in diliciis puerum præceptor habebas;*
*Et memor ingenium sum placuisse meum.*
*Vnde Giselbertus genitor non totus amusus*
*Dixit: abi, libros volve, revolve tuos.*
*Parvus eram; parvum nunc tu ne sperne libellum:*
*Præceptis non est discolor ille tuis.*

CRVCIFIXVS.

*In cruce tu semper Deus es mihi, Christe, colendus;*
*In cruce; non aliter mors tua vita mea est.*

PSYCHE.

*Pictura est: Psyche ignorandum explorat Amorem,*
*Seque Deam viso coniuge vana vocat.*
*Ardet amans, & in amplexum furit ire iacentis:*
*Quemque videt, falsò iudicat esse suum.*

*Iusserat ille: mei ne sit tibi cura videndi;*
*Peccato pelles me miseranda tuo.*
*Hæc res est: hominem studio Deus auctor anhelat,*
*Divinumque dato numine totus amat.*
*Vix sui homo ipse capax non est contentus habendo*
*Numen amatorem; vult quoquè nosce palam.*
*Vimque facit vetitis. Ne venoscatur in umbrâ,*
*Noscendum servat se Deus ipse sibi.*

## MAGDALENA.

*Visa iuventuti Venus (ah deflenda voluptas)*
*Plùs nimiò placui Magdalis atra mihi.*
*Ipsa ege me velut in speculo teterrima vidi,*
*Os mea cùm Christus vertit ad ora suum.*
*Spectatum Veneres veniant, spectentur & ipsæ;*
*Pompa superciliys protinus orba cadet.*

## SVSANNA.

*Pulchra per insidias medio deprensa lavacro*
*Respuit impuros nuda Susanna senes.*
*Quis furor, exclamat, sic insultare pudori?*
*Absit adulterium; non fero: malo mori.*
*Hi, subes; aut, instant falso te crimine testes*
*Perdimus; & labem vel sine labe luis.*
*Et fide, & ingenti caussam formabimus ore;*
*Nostraque non, populi sed lapidantis eris.*

*Tu Deus (est insons) formosam absolve Susannam,*
*Dissidioque dolus da cadat ipse suo*
*Hoc pateat, varios fari mendacia testes;*
*Inque malos abeant saxa retorta senes.*

## SCELETON.

*Non tam suo solet parentem filius*
*Referre vultu, fronte quàm mortis virum*
*Puer, venustum trux, beatum sordidus.*
*Quid verba? res hæc: una mors omnes sumus.*

## PATER MEVS.

*Vir priscæ pietatis amans, sanctæque quietis,*
*Eccè Giselbertus Plempius ille fuit.*
*O, bene Mullero, bene sit, qui (cerno) magistrâ*
*Penè mihi patrem reddidit arte meum,*

## MATER MEA.

*Hæc mihi mater erat; patri pia, & unica coniux:*
*Filius huic carus Plempius usquè fui,*
*Sat tamen haud certus de nomine: forte Sibylla; aut*
*Clara nec Eugenia, ast tantùm Isabella fuit.*
*Belia namque fuit Batavis vocitantibus: illud*
*Si sit Athenæum nomen, ut esse potest:*
*Aiat, quod res est; sua limina mater amavit;*
*Non procul, aut alibi, sueta sed esse domi.*

*Sæpius hic reperi lachrimantem, ac numen habentem*
*AEthereum : pietas non caret ipſa Deo.*

EGO.

*Plempius, eccè, ſibi, ſibi, dico, ſimillimus ipſi:*
*Heu, quàm ferme homines fæx, color, umbra ſumus!*

IVSTVS LIPSIVS.

*Hoc viguit Iuſtus quinquagenarius ore*
*Lipſius: hac facilis fronte, graviſque fuit.*
*Heu fuit: aſt auguſta viri mens aſtra petivit;*
*Mens pia, docta, ſuum digna videre Deum.*

MARS.

*Martem non iuris, ſed belli utriuſque peritum*
*Conſpicis: in campis acer is, inque toris.*

IANVS LEIDANVS.

*En, ô Leida, tuis memor hunc de civibus unum:*
*En monſtrum; ut captâ nomen ab urbe ferat.*
*Cùm ſoleat tales ſimulare tragædia reges;*
*Rex tamen, haud tragicus rex tamen ille fuit.*

PETRVS HOGERBETIVS.

*Vir fuit hic quondam cantu, & pollentibus herbis:*
*Non Circes vetitis; non, fera Colchi, tuis.*

Sed

*Sed puris, dignisque Deo, mentisque profundæ*
*Cum sancto Musis pondere virginibus.*
*Ipse quidem cunas patriæ Hogerbetius Hornæ,*
*Et vitæ debet prima elementa suæ.*
*Grandævum sed ei debet magis Horna senatum;*
*Patres, matresq́ꝫ, & læta puerperia.*
*Peste vir interijt iuvenes rapiente, senesque:*
*Res medico iamtum vivere vilis erat.*

## IVSTVS BVCHIVS.

*Amsterodamensis populi pars nobilis, eccè,*
*Iustus eo nuper Buchius ore fuit.*
*Ore; sed intus amans recti, rerumque bonarum:*
*Sexdecies patriæ præfuit ergo suæ.*
*Multos ornavit, læsit mala Curia multos:*
*Vive domi; dominis hic licet esse viris.*
*Non multùm refert fiat quis Consul, an exul;*
*Esse eadem fermè sors utriusque solet.*

## BYRSA NOSTRA.

*Amsterodamenses modulo damus utile nostro*
*Civibus emporium, Terra benigna, tuis.*
*Coctileq́ꝫ, en, patrij medijs ex fluminis undis*
*Quintuplici nixum fornice surgit opus.*
*Nomen erit Byrsæ: fuit hoc Carthaginis arci,*
*Quemque locum tergo cinxit Elisa bovis.*

*Quoque loco mercata solum decepit Iärbam,*
*Auxit & ignotas Pygmalionis opes.*

S. CORNELIVS.

*Est Timothei fratris.

* *Dum Marti dare tura negat Cornelius, ecce,*
*Ablatum Christo dat caput ense Deo.*

IDEM.

*Iacturam capitis facit, en, Cornelius, ut ne*
*Iacturam faciat relligionis: ovet.*

Iterum.

*Qui tibi, Corneli, caput abripit ense, trophæum*
*Tollere non potis est, Marte tepente, tuum.*

Rursum.

*Marti occidentes occidis ture negato,*
*Corneli: hoc Christo est reddere iusta Deo.*

Summùm.

*Tura negat Marti Cornelius; at caput ipsum*
*Non negat oblato sanguine, Christe, tibi.*

NICOLAVS PLEMPIVS.

*Eximius fuit hic medicamine Plempius, & rem*
*Facturus, mera si rara bibisset, erat.*

*Quin*

*Quin sermonis erat Latij, Graijque peritus*
*Largiter, & puro nobilis eloquio.*

## FAVNVS INTER MVSICOS.

*Hæc diversarum dulcis concordia vocum*
*Humanam Fauno suadet amicitiam.*

## ERASMVS ROTERODAMVS.

*Hic est, qui scripsit mala Roterodamus Erasmus*
*Colloquia, & Mori nomine stultitiam.*
*Femina mater erat; genitorem hodieque loquacem,*
*Atque dicacellum fama fuisse refert.*
*Vulgato nôrant * homulum cognomine cives,* Gerrits Kaecks.
*Quo neque garrulitas dignior ipsa, suum.*
*Patris ab ore pipit passerculus; aque parentis*
*Ingenio linguax psittacus esse solet.*
*Magnus Erasmus erat tamen; & (mihi crede) fu-*
*Maior is, esse minor si voluisset, erat. (turus*

## ALARDVS AMSTERODAMVS.

*Talis Alardus erat, dum viveret, Amsterodamus;*
*Nec tibi, nec Vivi vilis, Erasme, tuo.*
*Talis erat species, sub quâ doctrina latebat,*
*Tamquam nacta sacrum Græcolatina locum.*
*Non Anabaptistas potuit, non ferre Luterum*
*Hoc caput; & cerebro senserat arma suo.*

 *Arma*

*Arma videnda alijs, vimq́; Albanosque tumultus,*
*Et Toletanas non sine cæde manus.*
*Tam manifesta igitur neque bella videbat Alardus?*
*Res adeò non est mira; sepultus erat.*

## CORNELIVS CROCVS.

*Sum color; haud Crocus; quanquàm non cesso videri,*
*Et claro dicor nomine Crocus ego.*
*Non ego litterulas sum præceptore Latinas*
*Doctus Barlando Rhetore: Crocus erat.*
*Non ego sum gnarus Græcas emittere voces:*
*Sum probus, ac doctus non ego: Crocus erat.*
*Non pietas patriâ ludum mea pandit in urbe;*
*Officiosus ibi non ego: Crocus erat.*
*Quænam forma foret Latij sermonis ephebis*
*Non ego promptus eram tradere: Crocus erat.*
*Non disciplinæ gravis inculcator honestæ;*
*Non sine castus ego coniuge: Crocus erat.*
*Non aluit matris tenuem mea mensa senectam:*
*Antipelargistes non ego: Crocus erat.*
*Non abij Romam Batavo procul orbe relicto:*
*Loiolæ socius non ego: Crocus erat.*
*Ossibus ingratæ patriæ haud ego iure negatis*
*Romano dignus funere: Crocus erat.*
*Forsan ego natus quoquè sum color Amsterodami;*
*Amsterodamensis sed magè Crocus erat.*

*Al-*

## ALBERTVS EVFRENIVS.

*Versificator ero, si me neget esse poëtam*
*Momus ab invidiâ lividus ipse suâ.*
*Nec tantùm patrio maduisse Eufrenius Amstro,*
*Hippocrenæis sed quoquè dicar aquis.*
*Quas effudissem, brevis (heu) nisi vita fuisset,*
*Largiùs ingenij vi meliore mei.*
*Scandat Parnassum potior me turba iacente,*
*Patria: mens pueris est cata, corque tuis.*
*Amsterodamensi Latiam præpone Minervam:*
*A Latiâ linguæ vis venit alta tuæ.*
*Nuper culta meæ quoquè Musa Latina sorori;*
*Quam cita mors rapuit, ne tua Polla foret.*

## MATTHIAS BOSSEMIVS.

*Aspice: non fallax facies quàm spirat honestum*
*Pectus, & insignem quàm pietate virum!*
*Bossemius planè tuus est, ô patria. nescis?*
*Nempe Duacensis gloria magna scholæ.*
*Cancellare decus; quod iusserat esse Philippus,*
*Amsterodamenses pronus amare suos.*
*Bossemium puerum Crocus præceptor adegit*
*In mentem (fuerat si mala sortè) bonam.*
*Grande viro studium fuit hinc, uxore carere,*
*Atque ancillari sedulitate domi,*

*Annos relligio tres & triginta docere*
*Quo servanda foret, quoquè colenda modo.*
*Prælucere viris sanctorum lumine morum:*
*Stare, nec incertum ferre, referre pedem.*
*Advigilare sacris, & Amati rebus adesse;*
*Commodaq; ex illis, remque parare sibi.*
*Quæ testamento tenui legata iuventæ*
*Cederet, ac fieret protinus ampla domus.*
*Præberetque penum, & sacris compendia Musis;*
*Legibus appositis; vindice Matre Dei.*

## CHRISTVS.

*Quanta superficiem terrarum sphæra, globumque*
*Continet, atque sinu sufficiente capit.*
*Quantus habet totum locus interceptus Olympum:*
*Quàmque tenet Soles linea longa duos.*
*Quantaque transversum signat cruce pertica mundum;*
*Tantum unus spatium nomine Christus obit.*
*Nunquid abesse potest a summo nomine numen?*
*Si non numen adest, exulat ipse Deus.*
*Nilque nisi color est; specieq; inducta tabella:*
*Nil nisi Apelleæ dexteritatis opus.*
*Sed non numen abest; color est neque Christus inanis;*
*A quo vel pretium parva tabella capit.*

FINIS.

# LECTORI.

Ad chartas lector ſatis haud es idoneus iſtas,
Ni bene corrector; quæ malè cuſa, legas.
Pauca typographici vitiârunt verba labores:
Sic minùs hæc mentis, quàm baralipton, habent.
Quamvis & quædam eſt oculorum culpa meorum,
Ipſe nec argutus tollere menda fui.
Sunt ſua cudendis etiam mala fata libellis.
Fata quis avertat? ſint mala pauca; feres.

---

## Errata.

Pag. 7. verſ 1 lege places pro pates ſpretâ paronomaſiâ.
P. 11. v. 11. Hela pro Iſula.
P. 30. v. 3. momenta pro rudimenta: aut muta ſic verſum;
Priſtina non modicam monumenta refingere in urbem.
P. 73. v. 4. quæ pro qui.
P. 95 Mudanorum, & Mudana pro Muden: item P. 119.
P. 100 v. 20 perſtringens.
P. 104. 23. præcordia.
P. 111. v. 13. origine. v. 18. componenda.
P. 90. v. 13. Liquerat atq.
P. 100. v. 22. cum precedenza pro quott. &c.

